6385
4 J3
py 1

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 094 926 2

PA 6385
.F4 J3
Copy 1

DE
FESTI BREVIARII FONTIBVS.

DISSERTATIO HISTORICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA
RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PVBLICE DEFENDET

DIE VIII. MENSIS AVGVSTI A. MDCCCLXXIV
HORA XI

RICHARDVS IACOBI
BEROLINENSIS.

83991

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT
MAXIMILIANVS POSNER, DR. PHIL.
FRIDERICVS THEDINGA, STVD. PHIL.
PAVLVS EWALD, STVD. PHIL.

BONNAE
FORMIS CAROLI GEORGI.

PA6385
.F4 J3

PATRI CARISSIMO

S.

PRAEFATIO.

Festi[1]) breviarium paene omnes viri docti consentiunt ex Eutropio et Floro expressum esse. Quae sententia per duo fere saecula pervulgata quantopere plerisque probata atque accepta fuerit, sponte ex eo apparet, quod nemo adhuc exstitit, qui denuo atque accuratius in hanc quaestionem inquirere operae pretium esse arbitraretur. Prorsus igitur idem de hac re iudicium est D. G. Molleri in disputatione: de Sex. Rufo (Altdorf. 1687)[2]), Cellarii[3]), Tzschukkii[4]) aliorumque Festi editorum. Quibus nuper adstipulati sunt, quod ad Florum

---

[1]) Uno enim hoc nomine vocat auctorem breviarii codex Gothanus (G) saec. IX; cf. Wagenerum in Philol. Anz. 1873 V p. 104; atque hujus codicis, quem Foerster in commentatione paullo infra laudata, p. 95 sqq., *optimum* esse demonstrat, auctoritatem sequor, quamquam eiusdem saeculi cod. W. (Vindobonensis) hanc praebet inscriptionem: »Incipit breviarium Rufi Festi etc.« (De codice Gothano confer etiam Mommsenum in Herm. I p. 468.)

[2]) p. 13: »Eutropii verba Rufus saepe transscripsisse deprehenditur.« — Molleri enim esse hanc disputationem, non I. I. Sturmii, eiusdemque Molleri disputationem de Aur. Vict., non Bechmanni, quod falso contendit Opitz. (Quaest. de S. Aurelio Victore in Ritschl. Act. Soc. philol. Lips. II p. 200 n. 1) vel ex eo elucet, quod Moller (- Sturmius) in disp. de S. Rufo p. 5 laudat disputationem Molleri (- Bechmanni) de Aur. Vict. his verbis: ‚in disputatione mea de S. Aur. Vict.‘

[3]) in editionis praef.

[4]) in edit. praef. p. X atque in notis ad cap. XII (p. 53 n. 3), ad c. XVII (p. 73 n. 8), ad c. XIX (p. 78 n. 1, p. 79 n. 7) etc. Laudo Tzschukkium secundum editionem Lipsiensem 1793.

quidem attinet, Spengelius et Eussner[1]), quod ad Eutropium, Mommsenus[2]). Atque etiam W. Foerster, qui in Festi breviarium maximam impendit operam, in sententia illa permansit, cum in commentatione sua, quae inscripta est: ‚de Rufi breviario eiusque codicibus (Vindobonae 1872)' diceret (p. 105)[3]): „scriptores, quibus Rufus fuerat usus . . . hi sunt: Florus, Livii periochae, Eutropius" etc. p. 100: „Rufo autem fere toto ex Eutropio pendente etc." Gardthausenus autem, cum in subtilissima commentatione: ‚die geographischen Quellen Ammians', [4]), cuius libelli infra saepius rationem habebo, tres tantummodo Festi breviarii locos cum Ammiano aliisque compararet, de reliqui breviarii fontibus nusquam quid sentiret distincte atque accurate protulit; unum autem iam hic adnoto, Gardthausenum secum ipsum pugnare videri, cum scribat p. 526: „In dem letzten Haupttheil (cap. XV ff.) können natürlich nur historische Quellen benutzt sein; es sind dieselben, aus denen auch im vorigen Theil die historischen Notizen geschöpft waren", p. 532 autem dicat capita IV—XV sumpta esse ex alio quodam auctore ac breviarii partem posteriorem. —

Quorum virorum omnium de Festi auctoribus sententiae quam vehementer a vero abhorreant quibusque ex fontibus re vera expressum videatur breviarium pluribus demonstrare conabor. —

Sed priusquam ad ipsum propositum adgrediar, quam brevissime adumbrare mihi liceat, quo anno quem ad imperatorem Festus libellum suum scripserit.

---

[1]) Spengel: ‚Geschichtsbücher des Florus' (Abh. d. bair. Acad. 1860 IX p. 348). Eussner ‚Iulius Florus' in Philolog. 1874 p. 176.

[2]) ‚Quellen des Hieronymus' (in Abh. d. sächs. Ges. d. Wissensch. 1850) p. 673.

[3]) in programmate gymnasii Vindobonensis, quod est in vico S. Iosephi.

[4]) Leipzig. Teubner 1873 (ex Iahrb. für class. Philol. VI Suppl. B. p. 509—556.)

De anno enim non recte iudicat Sievers in: ‚Studien zur röm. Kaisergeschichte' p. 269, ubi breviarium intra annos 372—373 conscriptum esse dicit, rectius vero in ‚Leben des Libanius' p. 132 n. 41 circa annum 370 scriptum esse contendit. Bernhardyi autem (Grundriss d. röm. Lit. 1872. III p. 761), Bährii (Gesch. d. röm. Lit. 1845. II 192), Teuffelii (röm. Lit. 1872 p. 936) non distincta est sententia; confirmant tantummodo eodem atque Eutropium tempore Festum scripsisse libellum suum. Reliqui fere omnes, qui de breviarii Festi tempore egerunt, in eo consentiunt, quod Festum, cum in postremo libello Valentis victoriam de Gothis reportatam laudibus efferat, anno 369 scripsisse putant. Quam in sententiam primum a Gothofredo [1]) prolatam Moller, Cellarius ceterique editores et commentatores breviarii discesserunt. Mommsenus [2]) vero alterum quoddam argumentum ad tempus breviarii subtilius circumscribendum attulit, cum edoceret, Festum nondum novisse provinciam Valentiam anno 369 institutam [3]). Nam cum illa provincia sub iis ipsis imperatoribus occupata sit, quorum ad alterum Festus breviarium suum misit, non probabile videtur, quod in breviario Valentiae nomen omittitur Festi incuriae tribuere, quasi eius auctor huius provinciae nondum fecerit mentionem. Itaque cum Festus non ante annum 369 scripserit et veri sit simillimum non post annum 369 breviarium esse compositum, pro certo habendum est, Festum libellum suum in lucem edidisse anno 369. — Sed hanc sententiam probanti unus certe scrupulus levissimus ille quidem mihi restat. Manifestum enim est, ut paulo infra exponam, Festum in componendo

---

[1]) in commentariis ad Cod. Theod. X tit. 19 leg. 7 (tom. I p. 495).

[2]) in ‚d. Provinzialverzeichniss v. 297' p. 517; antea autem (anno 1857) haud accurate dixerat, Festum circa annum 369 scripsisse (vid. Polem. Silv. p. 257.)

[3]) Ammian. XXVIII, 3, 7 (vid. etiam Boecking. ad Not. Dign. II p. 500).

breviario inter caput XIV et XV intercapedinem quandam scribendi fecisse. Itaque si strenue iudicamus, ex victoria anni 369 in cap. XXIX commemorata, post quem terminum prior breviarii pars (cap. I—XIV) conscripta sit, colligere non possumus; quam partem non elucet nisi ex capite secundo post annum 364 esse compositam. Sed certe temporis spatium, quod inter priorem et posteriorem breviarii partem intercessit, non fuit tantum, ut hanc alio atque illam anno conscriptam esse probari possit. —

Itaque cum de anno, quo Festus breviarium suum composuerit, tum de imperatore, ad quem miserit mea quidem sententia dubitari non potest. Nam quamquam codex W (Vindobonensis) saec. IX inscriptionem praebet hanc: „. . . pio perpetuo domino Valentiniano etc.“ (v. Foerster. p. 95), tamen ipsa breviarii verba de Valentiniano ne cogitari quidem posse dilucide demonstrant. Nam et verba, quae in fine breviarii exstant: „Ut ad hanc ingentem de Gothis etiam Babylonicae tibi palma pacis accedat“ [1]), et inprimis capitis X locus, in quo scriptum est: „nunc Eoas partes totumque Orientem ac positas sub vicino sole provincias, qui auctores sceptris tuis paraverint explicabo; quo studium clementiae tuae, quod in propagandis habes, amplius excitetur“ ad Valentem, nullo modo ad Valentinianum spectant; quo accedit, quod codex optimus Gothanus omni caret dedicatione. Attamen etiam Foerster in editione Festi scripturus est: „. . . domino Valentiniano etc.“, quia quotquot dedicationem servaverint codices „Valentinianum“ tueantur parumque verisimile esse videatur, cum constet Eutropium, quem saepissime secutus sit Festus, breviarium suum Valenti dedicasse, eundem Valentem Festo, ut alterum breviarium historiae Romanae ex priore ipsi compilaret, praecepisse (Foerster p. 107 sq.). Sed libellum, de quo agimus, non esse eiusmodi vel eiusdem argumenti atque Eutropii ceterorumque

---

[1]) cf. Valesium ad Ammian. (XXIX 2, 22) p. 390 Valesii.

epitomatorum libros, quicunque perlegerit, concedet. Quam ad sententiam probandam paulum digredi mihi liceat. —

Divisus enim est libellus noster, ut iam V. Gardthausenus l. l. p. 525 fere item docuit, in partes duas; quarum prior continet capita III—XIV; in his enim, geographica ratione dispositis, postquam (in cap. III) breviter enumeratae sunt terrae sub regibus primum, deinde sub consulibus, postremo sub imperatoribus occupatae, — quibus bellis et victoriis singulas provincias Romana respublica adsecuta sit, ab auctore ostenditur; antecedit autem hanc partem in capite primo epistola, quacum Festus libellum suum ad imperatorem misit, et secundo in capite, quasi prooemio et institutione, brevis conspectus, quo reges consules imperatores quot fuerint et quot annos rempublicam administraverint explicatur; denique in capitibus XV—XIX, quae secundam breviarii partem efficiunt, bella a Romanis gesta contra Persas paulo latius enarrantur. — Duas autem illas libri nostri particulas apto vinculo omnino non inter se conexas et coartatas esse tam perspicuum est, ut, quicunque legerit initium capitis XV, pro certo habeat; incipit enim hoc caput his a verbis: ‚Scio nunc, inclyte princeps, quo tua pergat intentio'[1]), quibus verbis elucet priorem breviarii partem ab eo, quod ab imperatore auctori propositum esset, longe aberrasse. Quae enim Festus in cap. XIV paucis tantum verbis attingit — bella contra Parthos gesta — haec ante omnia Festum fusius scribendo persequi imperator iusserat[1]). De quo tradita iam imperatori priore breviarii parte certior factus Festus in altera demum quae res ab initio imperator, ut enarrarentur, optavit, diffusius explicavit. —

Cur autem, ut ad propositam quaestionem revertar, non est verisimile, eundem imperatorem Valentem, etsi Eutropius

---

[1]) cap. XV: »requiris profecto, quoties Babyloniae et Romanorum arma collata sint et quibus vicibus sagittis pila contenderint.«

ad eum iam miserat breviarium suum, Festo praecepisse [1]), ut bella Persica ipsi separatim describeret, praesertim cum Valenti expeditionem contra Persas facere tunc esset in animo? Itaque cum codex optimus Gothanus omni careat dedicatione, cum res ipsae a nostris partibus stent, cum ipsius breviarii verba plane absurda essent, si nostra repudiaretur sententia — summo iure, ut opinor, cum Valesio (ll.), Cellario, Tzschukkio, Baehrio (II 192), Teuffelio (§ 409,7) contra Vossium (de histor. lat. p. 198), Mollerum (p. 12), Bernhardyum (III, 671), Foersterum (p. 107) contendere possumus; Festum ad Valentem imperatorem breviarium suum misisse. —

[1]) »Brevem fieri clementia tua libellum praecepit; parebo libens.« (cap. I). Similiter Cassiodorus Senator in praef. pag. 589 Momms.: »parui libens praeceptis.« —

CAPVT I.

I. Iam ad principalem quaestionem reversi quibusnam auctoribus in conscribendo breviario Festus usus sit, inquiramus. De secundo igitur capite, praefatione, ut ita dicam, prioris breviarii partis, quod Pirogoffius in dissertationis suae (‚de Eutropii breviarii indole ac fontibus. part. I.‘ Berolini 1873) capite II: ‚de chronologia Eutropii‘ accuratissime tractavit, plura verba facere supersedeo. Hoc igitur capite Festus quot et per quot annos reges consules imperatores Romanam administrarint rempublicam exponit. Quas enumerationes ex Floro, nullos annorum numeros afferente, non esse sumptas nemo profecto erit, qui neget. Sed etiam eorum, qui Festum annorum numeros ex Eutropii breviario deprompsisse putant, sententia — quae iam propterea haud probabilis esse videtur, quod Festo ex Eutropii libello annorum numeri non sine negotio fuerint colligendi — aliquot certis argumentis refutari potest.

Primum enim cum Eutropius X, 18 tradat, ultimum imperatoris Ioviani annum fuisse 1118 a. u. c., Festus ter annum 1117 exhibet; ac praeterea, si singulos numeros a Festo allatos [1]) computamus, haec summa 1117 efficitur. — Deinde Festus primum imperatorum annum statuit annum

---

[1]) reges per 243 annos, consules per 467 annos, imperatores per 407 annos.

711 [1]), quanquam et Eutropii perspicuis verbis (VII, 8) hoc, ut ita dicam, unius imperium demum incipit, postquam pugna apud Actium commissa est, „duodecimo anno quam Octavius consul fuerat“ i. e. ab anno (723) 722. — Denique autem numeri annorum, per quos singulos Romanorum reges regnasse Festus refert, non concinunt cum annis ab Eutropio traditis; nam etsi minoris momenti est, quod Eutropius Servii Tullii annos plane neglexit (I, 7) [2]), tamen maximi ad quaestionem nostram solvendam momenti esse videtur, quod Festus Tarquinio Prisco 37 et Superbo 25, contra Eutropius Prisco 38 et Superbo 24 tribuit annos; de quibus numeris nulla codicum discrepantia exstare videtur, immo confirmantur [3]) summa regii imperii annorum 243, quae aliquoties a Festo affertur. Certe autem errore quodam perductus Pirogoffius pag. 13 et 15 scribit Festum quoque Prisco 38 annos tribuisse, quamquam neque Foersteri neque Pirogoffii ex verbis aliquod codicum testimonium hunc numerum probare videtur; Pirogoffius autem hoc Festi numero depravato etiam summam illam 243 annorum in 244 commutat, etsi haud ignorat (p. 15 n. 3) ipso ab Festo numerum 243, eundem atque ab Eutropio, esse allatum. — De plurimis autem rebus chronologicis, velut de decemvirorum tribunorumque annis, Eutropium et Festum ex eodem fonte — aliquo chronico — hausisse Pirogoffius subtilissimis disquisitionibus institutis mihi probavit (vid. Pirogoff. p. 17—30). Sed cum diiu-

---

[1]) qui annus efficitur diversis computandi viis:

reges per 243 annos	imperatores usque ad ann. 1117 (364 p. C.)
consules p. 467 annos	per annos 407
710, primus	710, primus
igitur annus imperat. 711.	igitur annus imp. 711.

[2]) Fortasse Eutropius numero civium quem paulo ante exhibet perductus hunc Servii annorum omisit.

[3]) Romulus 37 — Senatores 1 — Numa 43 — Tullus 32 — Ancus 24 — Priscus 37 — Servius 44 — Superbus 25 = 243.

dicare non ausim, quomodo discrepantiae, quae de regii imperii annis inter Festum et Eutropium intercedunt, ortae sint, ex chronico illo fortasse numeros, quibus Festus indicat, quot imperatores et per quot annos imperarint, derivatos esse haud nego; probabilius autem nonnullis de causis mihi videtur suo ingenio Festum hos numeros attulisse [1]).

Sed satis hoc de capite dictum est, iam ad priorem illam breviarii partem (cap. III—XIV.) accedamus. Quod ad hanc attinet Victor Gardthausenus in libello supra laudato ad rationem, qua in componendo libro suo Festus usus sit, accurate cognoscendam nonnulla eaque haud levia attulit. Docet enim p. 512 Ammianum in iis quibus loca atque regiones describat partibus, ut ita dicam, geographicis auctorem sequi, qui in opere suo Romani imperii provincias secundam propriam quendam ordinem dispositas enarraverit. Quem ob describendi ordinem Gardthausenus opus illud nominat ‚eine schematisirte Geographie'. Cuius libri auctor in unaquaque regione describenda ita versatus est, ut in fine paucis verbis exponeret, quot et quantis bellis atque victoriis in provinciae formam Romani eam redegissent [2]). Quibus in rebus narrandis mirum fere consensum esse Flori, Ammiani, Festi a Gardthauseno (p. 526) dilucide demonstratum est. Porro locis trium illorum scriptorum a Gardthauseno (p. 527) exhibitis procul dubio efficitur, Flori libro usos esse nec Festum neque Ammianum. Atque eorum quoque, qui Festum ab Ammiano expressum esse putant, opinionem Gardthausenus (p. 532 sq.) certis argumentis refutat; eundem [3]) enim exponit

---

[1]) hoc in capite certe quod codex G. praebet secundum Pirogoffium p. 30 n. 1 unice est genuinum. cf. Foerster. p. 108 sq.

[2]) Ordinem quendam praeter scriptores a Gardthauseno p. 512 in not. commemoratos observat quamvis negligenter etiam Constantinus Porphyrogenitus in libello suo ‚de provinciis' inscripto.

[3]) optime commemorat G. p. 532: dass Florus Ammian Festus an einem Orte vereinigt das bieten, was bei Livius über die Bücher

ab Ammiano in geographicis partibus atque ab Festo et Floro [1]) in usum vocatum esse auctorem eumque qui illam orbis Romani descriptionem a Gardthauseno enucleatam (schematisirte Geographie) composuit. — Quam descriptionem a Festo non in iis tantum locis, in quibus ipse et Ammianus inter se congruunt, esse expressam, sed totam fere priorem breviarii partem inde a capite III usque ad caput XIV ex illo fonte fluxisse infra probare conabor.

Sed sane haud omnia quae in illis capitibus leguntur ab hac descriptione geographica pendere verisimile est. Quo pertinet in primis distincta illa provinciarum enumeratio, quam Festus in postremis capitibus IV V VI VIII IX, postquam bella in illis regionibus gesta enarravit, adiungit; quae provinciarum nomina auctorem breviarii e descriptione illa geographica magno negotio collegisse ex duobus praecipue causis probabile non est. Primum enim provinciarum multi indices sive catalogi, quorum aliquot etiam nobis servati sunt, Festo certe praesto erant; deinde autem ex Ammiano apparere videtur geographici illius operis auctorem non semper de singulis provinciis tam accurate disseruisse quam auctorem, a quo Festus suum provinciarum indicem mutuatus est, velut Ammianus [2]) cum Galliarum provincias describibat unam tantum Aquitaniam nominat et Alpes maritimas ne verbo quidem attingit, qua de utraque re accuratius Festus in postremo capite IV refert.

Iam de Festi indice provinciarum paulo fusius agamus.

63—95 vertheilt war, und was weder beim Eutrop noch beim Orosius zusammengestellt ist.

[1]) Locus ille Hieronymi a Gardthauseno p. 533 allatus haud magni momenti est, quoniam Mommsenus Hieronymum e Festo hausisse nobis probavit (in ‚Quellen des Hieronym.‘ p. 673).

[2]) XV, 11, 7; etiam Boeckingius in Not. Digu. II 491 adnotavit: ‚Ammianus in Galliarum descriptione satis accurate versatus non est.‘

Qua de re disserenti ex iis qui circa IV p. C. n. saeculum compositi ad nostra tempora duraverunt catalogis in primis duo vel tres adhibendi sunt: primum ille provinciarum index, quem nuper Mommsenus in commentatione, quae inscripta est: ‚Verzeichniss der römischen Provinzen, aufgesetzt um 297‘ [1]), e codice Veronensi emendatum doctissimisque commentariis instructum edidit itaque ab oblivione virorum doctorum vindicavit; deinde comparanda est enumeratio provinciarum, quam Polemius Silvius laterculo suo [2]) anno 448 p. C. n. composito innexuit e catalogo circa annum 385 confecto desumptam [3]); denique celeberrima illa ‚Notitia Dignitatum utriusque imperii‘ [4]) primis quinti saeculi annis conscripta [5]) nequaquam erit negligenda. Catalogi autem posteriorum aetatum velut Hieroclis grammatici ‚*συνέκδημος*‘ aut Constantini Porphyrogeniti ‚Themata‘ — qui illum maxima ex parte expressit (cf. Const. Porph. themat. ed. Tafel p. VII sqq.) — plane omitti possunt.

Sed cum Festi catalogum usque ad nonum quidem caput Mommsenus in commentationibus, quas supra diximus, et Boekingius in commentariis ad Notitiam Dignitatum saepissime cum ceteris catalogis comparaverint, horum virorum observationes gravissimas hic illic sparsas quam potero brevissime

---

[1]) in Abhdlg. d. Berl. Acad. 1862 p. 489 sqq.; significabo hunc catalogum Mommsenique commentationem literis: V. C. (Veronensis Catalogus).

[2]) cuius partes ad nostram quaestionem pertinentes Mommsenus edidit commentarioque instruxit in Abhdlg. der sächs. Ges. 1857 p. 231 sqq., quem libellum designabo literis: P. S. (Polemius Silvius).

[3]) V. C. p. 504 (spätestens anno 386) p. 496, cf. P. S. p. 257.

[4]) ed. Boeckingius. Bonnae apud Marcum 1839—1853. (N. D.)

[5]) Boecking: ‚Ueber die N. D. utriusque imperii‘ Bonn 1834. — Mommsenus in P. S. p. 259 concedit tantum, hanc Notitiam haud ante 398 compositam esse.

componam; paullo diffusius autem disserere mihi liceat, quoties aliquid addi opus esse videbitur, quo accuratius, quae inter Festi ceterosque catalogos intercedat ratio, cognoscatur.

Quarto igitur in capite breviarii Festus Italiam plane omisit neque tamen omnes provincias neglexit, quae sub dispositione praefecti praetorio per Italiam fuerunt, sed tantummodo Italiae propriae sive eas, quae Augustanis regionibus XI continebantur. — De Sicilia autem provincia haec verba facit: ‚Sicilia a praetoribus recta est: postea commissa est praesidibus, nunc a consularibus administratur.‘ De praetoribus Siciliae multis locis disseritur (cf. Marquardt, Röm. Staatsverwaltung I [1873] p. 92); Siciliam consularem confirmat Not. Dign. II p. 64, praesidialem N. D. III, 1203 (cf. II 432 sqq). — Deinde de Sardinia et Corsica adnotat Festus: ‚iuncta administratio harum insularum fuerat: post quaelibet suos praetores habuit; nunc singulae a suis praesidibus reguntur.‘ Iunctam esse initio Sardiniae et Corsicae administrationem apud omnes constat (vid. Marquardt, Staatsverw. p. 96); unamquamque [„quaelibet“] autem unquam singulos habuisse praetores nullo alio loco traditur; sed operae vix pretium est subtilius haec verba examinare, cum Foerster p. 98 nos edoceat hunc Festi locum non leviter esse corruptum. — Contra Sardiniam et Corsicam unamquamque a singulis praesidibus administratam probat N. D. II 64 (cf. II 436 sq.). — Sex Africae dioecesis provinciae, quas Festus hoc in capite enumerat, plane eundem in modum commemorantur in V. C. p. 515, P. S. p. 253, N. D. II p. 61, p. 67, cf. p. 149 [1]).

---

[1]) Mansonem (Leben Constantins p. 328, editionis, quae mihi in manibus est, Lechnerianae (Vindobonae 1819) p. 265 de hac Festi provinciarum enumeratione errasse iam Boeckingius ad N. D. II, 149 docuit. Mihi autem restat, ut multo gravius Wietersheimii vitium corrigam; ille enim dicit (Geschichte der Völkerwanderung III p. 88 dd): „ Africa mit sieben Provinzen.“ Primo autem adspectu elucet

Deinde in sequenti capite enumerat Festus Hispaniae dioecesis provincias; desiderantur tamen insulae Baleares; quas cum et P. S. et N. D. afferrent, Boeckingius (N. D. II, 459) Festi verba: . . . . . Gallaecia, Baetica. Trans fretum etiam in solo terrae Africae . . .' tali modo emendare conatus est: ‚Gallaecia, Baetica, insulae. Trans fretum etiam terrae Africae etc.“ Sed cum etiam Veronensis Catalogus p. 514 insulas Baleares omittat, summo iure concludi potest, per totum fere quartum saeculum (usque ad annum 386) insulas illas non fuisse separatam provinciam (V. C. p. 515, Marquardt, Staatsverw. pgg. 104 et 109). — Eodem autem ex capite etiam Gallaeciam elucet provinciam Festi aetate non, ut Notitiae D. temporibus, consularem (N. D. II, 69), sed praesidialem fuisse, ut in Veronensi quoque Catalogo (p. 514 sq.).

E sexto autem breviarii capite, cuius in fine Galliarum et Britanniae provinciae enumerantur, duas primum res easque

---

hunc errorem originem duxisse e loco quodam Notitiae Dign., cuius in tom. II pp. 9 et 10 haec exstant verba: ‚Sub dispositione virorum illustrium praefectorum praet.: Italiae: Dioeceseos . . . Africae septem (provinciae): 1. Byzacium, 2. Numidia, 3. Mauritania-Sitifensis, 4. M. Caesariensis, 5. Tripolis, 6. Praefectus annonae Africae, 7. Praefectus Fundorum Patrimonialium', quibus verbis Wietersheimius in errorem illum inductus est, cum plane neglecta Böckingii commentatione (ad Not. D. II, 149 sq.) praefectum annonae Africae et praefectum fundorum patrimonialium suam quemque Africae terrae partem gubernasse putaret. Erant enim praefecti illi ministri, qui Carthagine cum proconsule sedem habebant (N. D. II, 423) et per omnem Africae dioecesem muneribus suis fungebantur. In illo igitur Not. D. loco quinque tantum afferuntur Africae provinciae, si quidem provinciae nomine terrae partem intelligimus; sexta autem Africae provincia — dico proconsularem — cum sub dispositione praefecti praetorio per Italiam non esset, hoc loco commemorata omnino non est; atque recte Wietersheimius p. 88 h. hanc proconsularem provinciam adfert separatim. Qua ratione Wietersheimius pro sex Africae provinciis octo statuit.

leves quidem neque tamen negligendas commemorem; Festus enim et Polemius Silvius p. 253 n. 33 Graias solas Alpes nominant eam provinciam, quam V. C. p. 511 et N. D. II p. 72 Alpes Poeninas et Graias dicunt, id quod certe utrique non casu accidit (vid. infra); porro Festus primus item ac postea P. S. p. 252 nr. 33 et N. D. II p. 72 eam provinciam, quae in V. C. Sequania vocatur, Maximam Sequanorum nominat. — Deinde autem maioris momenti est, quod Festus unam tantum provinciam Narbonensem adfert, cum et V. C. p. 512 et P. S. p. 252 nr. 18 et 19 et N. D. II 72 duas enumerent Narbonensis; quamobrem Mommsenus in V. C. p. 513 in eam sententiam discessit, ut hanc *exiguam* provinciam Festi incuria excidisse putaret. At primum quidem Ammianus [1]), qui certe auctorem medii saeculi quarti secutus est, in eo, quod unius tantum Narbonensis mentionem facit, cum Festo consentit; deinde autem cum Festus provinciarum nomina procul dubio ex aliquo catalogo sumeret, haud facile fieri potuit, ut provinciae nomen plane negligeret; praeterea autem si considero, Festum, cum in usum imperatoris scriberet, consentaneum esse novissimo provinciarum indice usum esse, facere non possum, quin mihi persuadeam, hanc *exiguam* provinciam Narbonensem II per quartum saeculum usque ad Festi tempora non fuisse nisi partem alius provinciae, sive Viennensis sive Alpium maritimarum. — Ex eo denique quod in hoc breviarii capite item atque in V. C. p. 511 Lugdunensis tertia et quarta desiderantur [2]), commemorantur apud P. S. (p. 252 nr. 30 et 31),

---

[1]) Ceterum errat Mommsenus, cum dicat in V. C. p. 511, Ammianum Galliarum provincias plane eundem in modum enumerasse atque Veronensem Catalogum; tres enim discrepantiae mihi occurrunt: Ammianus unam tantum Aquitanicam (p. 60, 18), unam Narbonensem (p. 60, 21), V. C. contra habet et duas Aquitanicas et duas Narbonenses; plane autem apud Ammianum, quas V. C. commemorat, Alpes maritimae desiderantur.

[2]) Ammianus quoque p. 60 vv. 9 et 11 primam quidem et secundam Lugdunensem, sed nusquam tertiam aut quartam memorat.

intra annum 369—386 eas institutas esse optimo iure contendere possumus (cf. V. C. p. 511)[1]).

Iam ad octavum breviarii nostri capitulum accedimus, in quo Illyrici provinciae enumerantur. Quod quantas praebeat difficultates Mommsenus saepius de his provinciis disserens luculenter explanat. Docet enim, Festum eodem modo, quo Silvium, Illyrici nomine ratione quadam geographica tres quae nunquam sub unius dispositione fuerunt regiones complexam esse[2]): provinciae enim VII vicarii Macedoniae et X illae provinciae, quae sub ipsa dispositione (Immediatbezirke) praef. praet. per Italiam et per Illyricum erant (V. C. p. 498). — Deinde quia hoc in capite Festus Dardaniae provinciae nomen Daciae secundae tribuit, mea quidem sententia conicere debemus, provinciam, quae ante Festum (V. C. p. 497) et post eum (P. S. p. 254 nr. 58) Dardania nominatur, ipsius temporibus secundam Daciam publice esse vocatam (cf. V. C. p. 508). — Ceteris autem in rebus libelli nostri provinciarum Illyrici enumeratio prorsus congruit cum Veronensi Catalogo et Polemio Silvio; quod enim olim Boeckingius (N. D. II, 146), priusquam ei innotuisset Catalogus ille Veronensis, adnotavit, primum Festum praeter Pannonias duas Valeriam Saviamque nominasse, Catalogus ille abolevit. — In Notitia autem Dignitatum Valeriam, Pannonicam provinciam, propter causam quandam ignotam esse praetermissam Boeckingius adnotavit[3]) (N. D. II, 143; cf. II, 94 sq.), cui opinioni assensus Mommsenus haud perspicua causa eam excidisse dicit. Verum

---

[1]) De Valentia provincia, quae in hoc brev. capite desideratur, iam supra disserui (vid. p. 7).

[2]) P. Silvium errasse, cum Scythiam et Haemimontum Illyricas provincias nominaret, Mommsenus docuit (V. C. p. 507).

[3]) Tamen plane neglecta Boeckingii adnotatione, in qua dicit: „nihil nobis superest nisi ut pro sex provinciis septem fuisse contendamus“, Wietersheimius III p. 88 v. 1 sex tantum computat Illyrici occidentalis provincias (cf. tamen Momms. P. S. p. 263 n. 23).

equidem censeo hoc nomen in N. D. (II, 9) ab aliquo librario ideo eiectum esse, quod modo Valeria Italica commemorata erat paullo ante illum locum, quo Pannonica hodie desideratur; librarius ille igitur in eum incidit errorrem, de quo Boeckingius (III, 691) monet, ne Valeria Italiae cum Valeria Pannoniae confundatur [1]).

Deinde Thraciae dioecesis provinciae in sequenti capite (IX) allatae plane cum iis congruunt, quae e Veronensi Catalogo et ex Polemii Silvii indice nobis notae sunt (sed conferas velim V. C. p. 507). —

---

[1]) Boeckingius N. D. II, 143 haec facit verba: „Tillemontius (Hist. des empereurs, éd. Bruxelles 1710, tom. V, 1 p. 264) dubitat, utrum per aliquod tempus Savia sub Valeriae appellatione venisset necne, quae certe dubitatio plane erronea est. Nam in dextra Danubii ripa Savia intra Savum ac Dravum, Valeria intra Dravum Danubiique angulum prope S. Andreae insulam continebantur." Aliquamdiu haesitavi, num Boeckingio de his rebus, in quibus disquirendis summa cum diligentia et subtilitate versatus est, obloqui mihi liceret. Attamen Boeckingii sententiae repugnare ausim, cum nullas afferat causas, quibus de sententia mea deterreri possim, praesertim autem cum nonnulli veterum auctorum loci Tillemontii verba confirmare mihi videantur. Primum enim Ammianus XVIIII c. 11 narrat, Imp. Constantium contra Limigantes Sarmatas proficiscentem in *Valeriam* venisse (p. 161, 9, Eyssenhardt. maj.) ibique „*prope Acimincum*" (p. 162, 5) aggerem in speciem tribunalis ad accipiendam Limigantium legationem ab eo errectum esse. Acimincum autem oppidum situm fuisse constat haud procul ab eó loco, ubi Tisia flumen in Histrum influit, ergo intra Dravum et Savum. — Deinde autem in Cosmographia Ravenn. c. 20 (edit. Pind.-Parth.) p. 219 haec exstant verba: »Item iuxta ipsam Pannoniam est patria, quae dicitur Valeria, quae et media appellatur provincia, pro eo quod rejacet inter suprascriptas Pannonias«; post haec Anonymus Ravennas sub nomine civitatum Valeriae enumerat: Acunum ([Pind.] = Acimincum), Usum (= Cusum), Cornacum aliaque oppida, quae omnia intra Dravum et Savum sita erant; idemque auctor p. 221, 4 diserte dicit: »quam Valeriam finit fluvius maximus, qui dicitur Savus.«

Iam ad ea libelli nostri capita (X—XIV) transeo, quibus Festus, ut ipsius verbis utar, eoas partes explicat; eoas autem imperii partes non omnes dioeceses, quae erant sub dispositione praefecti praetorio per Orientem, intellegit, sed Thraciae provinciis iam nono capite enumeratis Orientis tantum dioecesim et Asianam et Ponticam [1]).

Discedit autem Festus inde a decimo capite a ratione, quam in prioribus componendis capitibus inierat, cum bellis, quibus Romani singularum dioecesium gentes subiecerint, breviter enarratis eius quam descripserat dioecesis provinciarum indicem nobis proponere plane negligat. Certe hanc ipsam ob causam Mommsenus in commentationibus supra saepe collatis horum breviarii capitum ne verbo quidem mentionem fecit, similiter etiam Boeckingius. Qua re ad omittendum provinciarum indicem Festus adductus sit, si quaerimus, certe in eo causa posita est, quod nomina nationum ac terrarum Orientis multo magis quam Occidentis cum provinciarum Romanarum nominibus congruebant; eadem de causa Orientis provinciae, quibus bellis occupatae sint, multo clarius et facilius e breviario nostro cognoscere possumus quam quibus occidentales. Attamen etiam in breviarii parte posteriore Festus, qui certe haec capita (X—XIV) ex eodem fonte atque priora (IV—IX) hauserit (vid. infra p. 26 sqq.), praeter geographicum illud opus, de quo supra diximus, catalogum provinciarum in manibus habuisse mihi videtur, secundum quem auctoris quem expressit narrationem quodammodo ita transformavit, ut pro regionibus et gentibus ab illo memoratis provinciarum nomina poneret; quae sententia duobus argumentis confirmari atque comprobari mihi videtur; quorum prius est hoc: in tertio capite multarum terrarum populorumque nomina secundum ordinem quendam enumerantur, quorum bella cum Romanis gesta eodem ordine

---

[1]) eundem in modum etiam Constantinus Porphyr. Europae provincias Occidenti, Asianas Orienti tribuit (cf. Tafel p. XII).

vel serie in capitibus IV—IX nobis explicantur[1]); unde efficitur, tertium caput ex eodem fonte fluxisse, ex quo capita IV—XIV; neque tamen Orientis terrarum nomina in cap. III allata cum iis consentiunt, quae c. X—XIV memoriae traduntur. Alterum autem argumentum in eo positum est, quod provinciarum orientalium, quae Festi aetate erant, nulla apud eum desideratur, atque praeterea eo ordine provinciae commemorantur, ut primum ab initio capitis X usque ad medium caput XI omnes dioecesis Asianae, deinde in reliquo capite XI dioecesis Ponticae, postremum Orientis dioecesis in capitibus XII, XIII, XIV enumerentur provinciae. —

Conferam iam Festi provinciarum indicem, qualis fuisse videatur, cum Polemio Silvio et Veronensi catologo.

---

[1])	cap. III.	
sub consulibus.	sub imperat.	
Italia		cap. IV. Sicilia Sardinia Corsica
Africa subacta.		subacta omni Africa.
Hispaniae		V. Hispaniae
Galliae et Britanniae (tributariae factae)		VI. Galliae Britanniae (tributarias fecit)
Illyrici [Histri, Liburni etc.]		VII. Illyricum [Creta]
ad Achaiam transit.		ad Achaiam accessimus.
		Epirotae
		Thessalae
Macedones		Macedonia
Dardani		Dardani
Moesi		Moesi *)
	Alpes marit. Cott.	Alpinis victis
	Rhaetiae	
	Noricae	Noricorum prov.
	Pannoniae	Pannoniae
Thraces		IX. Thraciae
ad Danubium usque perventum.		*) ad Danubium usque venimus.

Veron. Catalog p. 506.	Festus.	Polemius Silv. p. 254.
Dioecesis Asiana.	c. 10.	in Asia XII, nr. 72—83.
Nr. 28.[1])	1. Asia	nr. 72. A. ipsa.
29.	2. Lydia	75.
30.	3. Caria	76.
33.	4. Hellespontus	77.
26. Phrygia I.	5. 6. Phrygiae	80. Phr. prima
27. Phrygia II.		81. Phr. salutaris
31. Insularum prov.	7. Insularum prov.	83. Cyclades
25. c. 11.	8. Pamphylia	78.
— [2])	9. Lycia	73.
32.	10. Pisidia	79.
—	—	82. Lycaonia
p. 503. Dioecesis Pontica.		in Ponto VIII, nr. 94—101.
17.	1. Bithynia	97.
19.	2. Galatia	74. (tunc in Asia)[3])
18. Cappadocia	3. Cappadoces	101. Cappadocia
21. Diospontus	4. Pontus	94. Pontus Amasia
22. Pontus Polemiacus	—	95. Pontus Polem.
20.	5. Paphlagonia	98.
23. Armenia minor	(Armeniae demum	99.
24. ,, major	memorantur initio	100.
	et fine cap. XIV.)	
—	—	96. Honoriada.
pgg. 499 et 501. Dioecesis Oriens.	c. 12. p. 285.	in Oriente X, nr. 74—83. in Aegypto VI, nr. 102—107.
12. Cilicia	1. Cilices	88. Cilicia
13. Isauria	2. Isauri	87. Isauria
14. — c. 13.	3. Cyprus	89. —

---

[1]) si in V. C. aut apud P. S. plane idem affertur nomen provinciae atque a Festo, numeros tantum adpono, quibus significem, quoto loco in illis provinciarum indicibus recenseatur.

[2]) hanc provinciam librarii incuria excidisse censet Mommsenus V. C. p. 506.

[3]) vid. Mommsen. in P. S. p. 263: »bei einer an der Grenze gelegenen Provinz ist ein solcher Wechsel begreiflich.« (cf. V. C. p. 503, n. 19.)

1. L. superior	4. Libyae Pentapolis	106. L. pentapolis
2. L. inferior	5. Libya	105. L. sicca
4. Aeg. Iovia	6. } Aegyptus	102. A. ipsa
5. Aeg. Herculia	7. } omnis	103. Augustamnica
3. Thebais	—	104. Thebaida
—	—	107. Arcadia
16. Osroena c. 14.	8. Osroene	92. Hosdroene
15.	9. Mesopotamia	90.
10. S. Coele	10. 11. Syriae	84. S. Coele
11. Augusta Euphratens.		91. Eufratesia
9. Phoenice	12. Phoenice	86. Syria Phoenice
6. Arabia	13. Arabes	
7. Arab. aug. Liban.	(14.) Arabes	
8. Palaestina	(15.) Iudaei	85. Syria Palaestina
		93. Sophanene

Festum igitur item atque Veronensem Catalogum inter dioecesim Orientem et Aegyptiacam nondum distinxisse ex eo elucet, quod provincias posterioris dioecesis Aegyptiacae mediis in provinciis Orientis dioecesis recensent. Quam Aegyptiacam dioecesim Mommsenus (V. C. 496), quoniam comitem Orientis anno 365 etiam in Aegypto muneribus functum esse constat, post hunc annum institutam esse iudicavit. Sed cum breviarium Festi anno 369 compositam esse supra probaverimus, concludere licebit Aegypti provincias non ante annum 369 dioecesi comprehensas esse separata. — Deinde provinciae Lycaonia, Honorias, Arcadia a Polemio Silvio allatae fieri non potest, quin desiderentur apud Festum, quod omnes illas demum circa finem IV saeculi institutas esse constat (cf. V. C. p. 506, p. 504 n. 20, p. 500). — Denique Festus uno nomine „Aegypti omnis“ duas Aegyptos — Ioviam et Herculiam vel potius Ioviam et Augustamnicam (cf. Ammian. XXII, c. 16) — atque nomine „Ponti“ et Amasiam et Polemiacum Pontum breviter significasse videtur. — Denique superest, ut Festi „Syrias“ ita me interpretari adnotem, ut et Syriam Coelen

et Euphratensem ab eo dici putem[1]; quam sententiam confirmat Notitia Dign., cuius in tom. I, p. 87 haec exstant verba: „Sub dispositione v. spect. ducis Syriae et Eufratensis Syriae" et p. 5: „duces per Orientem sex: 1. Foenices, 2. Eufratensis et Syriae[2]), 3. Palaestinae, 4. Osroenae, 5. Mesopotamiae, 6. Arabiae. —

Collatis igitur breviarii nostri provinciarum nominibus cum catalogis, qui ad breviarii tempora proxime accedunt, iam quaestionem oriri patet, unde Festus provinciarum indicem suum deprompserit. Sed hac de re distincte iudicare non posse mihi videor, praesertim cum eorum qui servati sunt provinciarum catalogorum nullus plane cum Festo congruat. Tamen paullo accuratius catalogos illos inter se comparanti nonnulla occurrunt, e quibus artiorem inter Festum et Polemium Silvium quam inter Festum et sive Veronensem Catalogum sive Notitiam Dignitatum necessitatem intercedere in propatulo sit. Uterque enim — Festus et Polemius Silvius — Gallicae illi provinciae, quam Veronensis Catalogus et Notitia Dignitatum Alpes Poeninas et Graias dicunt, Graiarum tantum nomen tribuit; itemque uterque pro Flavia Caesariensi, quod nomen Not. Dign. et Veron. Catalog. afferunt, Flaviam tantum nominat, porro uterque Hispanarum provinciarum enumerationem, priusquam Tingitanica provincia nominetur, aliquot verbis („trans fretum etc.") interrumpit; denique utrumque Illyrici nomine geographica quadam ratione tres diversas regiones complexum iam supra notavimus.

Sed haec hactenus. Paucis tantum verbis denuo comprehendam, quid Festus ad provinciarum administrationem accuratius cognoscendam afferat.

---

[1]) Eufratensem enim sitam in dextra Euphratis ripa hac ex parte Mesopotamia et Osroena, illa autem Syria et Phoenice finiverunt; atque hoc ordine etiam a Festo enumerantur.

[2]) i. e. Eufratensis, Syria Coele, Syria Salutaris, quarum ultimam post annum demum 381 institutam esse constat.

Vidimus enim:

I. Baleares insulas post annum demum 369 separatam provinciam factas esse;

II. item provincias Lugdunensis III et IV;

III. provinciam Narbonensem II Festi temporibus cum aliqua vicina provincia coniunctam fuisse videri;

IV. item Aegyptum, quae postea separata erat dioecesis, certe usque ad annum 369 cum dioecesi Orientis coniunctam fuisse;

V. Gallaeciam provinciam, postea consularem, etiam anno 369 sub praesidis dispositione fuisse;

VI. Provinciae, quae in V. C. Sequania vocatur, iam ante ann. 369 Maximae Sequanorum nomen fuisse;

VII. Dardaniam provinciam Festi temporibus Daciam secundam publice vocatam videri.

2. Praeter hunc, de quo modo dixi, provinciarum indicem Festus, ut iam supra notavi, hac in breviarii parte eodem usus est libro, quem Ammianum in operis sui geographicis partitibus expressisse Gardthausenus nobis probavit. Attamen non eo progrediar, ut Festum censeam omnes res, quas in his breviarii capitibus narrat, ex illo libro sumpsisse. Notissimas enim saepe res refert, quas e suo eum composuisse et per se verisimile est et eo probabilius fit, quod etiam in sequentibus capitibus auctoris quem sequitur verbis aliquid addidisse eundem apparebit; deinde Festum in exscribendo auctore suo non semper accurata et assidua cum diligentia esse versatum, eam quoque ob causam pro certo habeo, quod in tam multos et tam graves errores incidit, qui quin ex ipsius inscitia rerum Romanarum emanaverint dubitari nequit. — Quorum errorum aliquot graviores pluribus mihi liceat pertractare. Velut scribit Festus in capite septimo: „Laevinus consul Hadriaticum atque Ionicum mare primum ingressus maritimas obtinuit civitates,“ quibuscum verbis conferendus est Florus (I, 23, 6 p. 34, 23 Halm.): „primum igitur Laevino consule populus Romanus Ionium mare ingressus.“ Hic autem M. Valerius

Laevinus idem est, cuius Eutropius (p. 12 vv. 9, 19, 32 Hartel.) in primo bello Macedonico enarrando mentionem fecit; quod bellum etiam Flori verba supra exhibita respiciunt. Festus, cuius verba ex eodem atque Flori fonte profecta esse in propatulo est, non intellexit, apud ipsius auctorem non sine caussa [1]) traditum esse Ionium tantum mare primum Laevino consule populum Romanum esse ingressum. Itaque cum verba ‚mare Hadriaticum' et ‚maritimas obtinuit civitates' addat, bellum Macedonicum primum cum Illyrico bello confundit. — Nam huius loci vulgatam lectionem non esse commutandam neque pro Laevino Albinum [2]) scribendum e Flori testimonio atque ex omnium codicum consensu (Foerster p. 100) omnino constat. — Quanta autem incuria Festus rerum gestarum ordinem immutaverit, dilucide ex capitis decimi loco apparet, ubi haec exstant verba: „Asia societate Attali „regis nota Romanis est eamque Attali testamento relictam „hereditario iure possidemus. Ne quid tamen populus Ro„manus non viribus partum haberet, armis per nos ab An„tiocho, Syriarum rege maximo, est vindicata. Eadem „occasione etiam Lydia . . . Caria, Hellespontus ac Phrygiae „in potestatem populi Romani iuncta deditione pervenerunt." Hic igitur Festus talem rerum ordinem praebet, ut testamentum illud ante bellum contra Antiochum Magnum gestum factum esse videatur, cum bellum illud quinquaginta fere annis ante Attali testamentum esse gestum omnibus notum

---

[1]) Nam e Livii verbis elucet M. Valerium Brundisio profectum naves appulisse ad Oricum (Liv. XXIV c. 10 et c. 40), quod oppidum ex Acroceraunis promontoriis ad meridiem spectat. Itaque Ionium tantum mare tunc primum Laevino consule Romani ingressi sunt. Hadriatici autem maris oram Romanos iam Illyrico bello attigisse notum est. cf. etiam Florum (I, 21, 1 p. 27 v. 31): ‚Illyrici . . . . longissime per totum Hadriani maris litus effusi', et Pomp. Mel. (p. 8, 5 Parthey.): ‚Adriatici latus Illyris occupat' et (p. 45, 27): ‚deinde Ceraunii montes, ab his flexibus in Hadrian.'

[2]) cf. Eutrop. p. 19. v. 23.

sit. Post Attali autem testamentum, si notissimas res attingere mihi licet, bellum contra Aristonicum ortum est; sed ne Festum levi tantum scribendi lapsu perductum pro Aristonici nomine Antiochum posuisse censeas, prohibent verba, quae sequuntur; Antiocho enim victo pleraeque illae terrae supra a Festo commemoratae in Eumenis possessionem, i. e. in potestatem Romanorum pervenerunt (cf. Liv. XXXVII c. 55).

Nonnulla autem in capite sexto leguntur, quae e suo ingenio Festum mutasse atque addidisse persuasum habeo; velut dicit; ‚Gallos Camillus collecta de agris multitudine oppressit'; quae verba ‚collecta de agris multitudine' ipsi Festo, non auctori eius esse tribuenda propterea mihi probabile videtur, quod (cap. 23) etiam de Odenatho solus Festus eandem rem nobis narrat. — Deinde de altero eiusdem capitis loco non assentior Pirogoffii sententiae, qui Festum de Capitolii praesidio praecisiorem nobis numerum servasse dicit; certe enim Festus verba illa ‚sexcenti nobiles et senatores' seu errore perductus seu e coniectura scripsisse mihi videtur. — Porro Festus, si scribit C. Caesaris legiones habuisse terna milia Italorum — sic enim secundum Foersterum p. 100 legendum est —, hunc numerum „ad antiquam rationem" exegisse iam Tzschukkio ad h. l. visus est. Quintum autem breviarii caput si inspicimus, eiusmodi errorem invenimus, qui utrum ipsi Festo an editoribus imputandus sit iure dubitari possit. Exstant enim in omnibus quae mihi in manibus sunt editionibus haec verba (cap. V): ‚Postea ad Hispanos tumultuantes Decius Iunius Silanus cum exercitu missus eos vicit.' Iam Tzschukkius aliique commentatores adnotaverunt primum pro Decio Iunio Silano scribendum esse Marcum I. S. ex Liv. XXVI, 19, 10, deinde autem illud ‚postea' cum rerum ordine non conspirare (vid. Festi cap. V init.: ‚Rebellantes in

[3]) Fortasse verbis »sexcenti nobiles etc.« Festus non significare voluit nisi magnam multitudinem.

Hispania Lusitanos per Decimum Brutum etc.'). Foerster autem p. 94 haec profert: „G¹ W¹ B B² omnes eius familiae „(optimae p. 104) scripta haec habent: ‚postea ad H. t. Sylla „missus eos vicit'. Altera codicum familia ad genuinam lec- „tionem enucleandam nihil adfert subsidii, cum a voce „‚Spanos' maior lacuna exordiatur. Duo codices novissimi — „alter Sillanus, alter Syllanus legunt. Syllam autem nun- „quam in Hispania fuisse, quis est qui ignoret? — — Verum „Iordanes quoque Sylla scriptum habet." Festus mihi quidem videtur negligenter scripsisse vel „a Sylla missus exercitus" vel „Syllanus exercitus missus," quae verba ad bellum Sertorianum paullo infra iterum commemoratum pertineant. — Denique capitis quarti locum haud accurate scriptum e Festi memoria emanasse pro certo habeo; dico eum, ubi exstant verba: ‚Prima provinciarum Sicilia facta est, eam victo Hierone Siculorum rege Marcellus consul obtinuit'. Notum enim est, Hieronem primo bello Punico victum, secundo Marcellum consulem fuisse, deinde a Marcello non esse totam Siciliam in provinciae formam redactam, sed demum a Laevino cons. 210 a. Chr. n. [1]); verba autem ‚prima provinciarum Sicilia' respiciunt bellum punicum primum, quo gesto maior Siciliae pars in Romanorum potestatem pervenit. Itaque hoc loco res non plane falsae, sed potius mixtae et confusae traduntur. — Similis, immo etiam gravior Festi error est, cum de Sardinia et Corsica referat, de quibus rebus Tzchukkius p. 17 fusius disseruit.

Sed Festi errorum haec quidem exempla sufficient, quorum numerum, quicunque breviarium perlegerit, facili opera augere poterit.

[1]) In eundem atque Festus errorem incidit Vell. Paterc. II, 38; falso autem Tzschukkius ad h. l. Festi adnotavit, eodem modo errasse Livium; Livii enim sententia dilucide exponitur XXVI, c. 40 et XXVII c. 5. — Sed fere idem ac Festus scripsit Constantin. Porphyr. de prov. ed. Tafel. p. 8.

Ipsam autem ob hanc Festi incuriam atque negligentiam, quibus hi similisque errores mea quidem sententia tribuendi sunt, quosnam auctores in breviario conscribendo secutus sit, haud facile cognosci poterit. —

Festum narrationes vel ab Eutropio vel ab Floro vel ab utroque simul mutuatum esse, plerique, ut iam supra notavi, nunc opinantur. Atque ut ab Eutropio [1]) incipiam, nonnulli sane horum capitum loci ex aliqua illius libelli parte sumpti esse videntur. Quorum aliquam consensus speciem habent praesertim hice: Festi c. IX („Marcus Lucullus" — „Calyben cepit") et Eutropii VI, 10 (p. 39 v. 17—24) — quae capita iam Gardthausenus p. 531 comparavit — deinde Festi cap. XI („ad extremum sub Octavio" — „speciem Cappadociae migravit"), quod quia ex diversis Eutropii locis repetitum esse videtur, hic affero:

Fest. c. XI	Eutrop.:
Ad extremum sub Octaviano Caesare Augusto Galatia in formam provinciae redacta est.	VII c. 10 (p. 47, 10) Galatia sub Augusto provincia facta . . . . .
Eam primus Lollius pro praetore administravit.	primusque eam M. Lollius pro praetore administravit.
Cappadoces primo societatem nostram sub Ariarathe rege *per legatos* petiverunt; postea Ariobarzanes rex Cappadocum a Mithridate expulsus *Romanorum armis restitutus est.*	(III c. 6 p. 27, 12: Romanis autem in auxilio erant . . . . Ariarates rex Cappadociae) V, 5 p. 34, 22: quare [Mithridates] Cappadociam occupavit et ex eo Ariobarzanem

[1]) Non assentior Köchero, qui in egregia dissertatione de Ioanne Antiocheno conscripta (Bonnae 1871) p. 17 sqq. Eutropium qui nobis servatus sit non esse integrum, sed hic illic nonnulla intercidisse contendit. Quam sententiam cum occasione data diffusius refutare mihi propositum sit, nunc hoc tantum dicam, multo facilius de Codini errore adferentis nomen auctoris (vid. Koecher. p. 22) quam de Eutropii defectu cogitari posse (velut Servius ad Aeneid. 8. 680 eundem in modum falsus est, cf. Sueton. ed. Roth. p. 287).

amicitia nostra fuere Cappadoces et ita maiestatem coluere Romanam, ut in honorem Augusti Caesaris Mazaca, civitas Cappadociae maxima, Caesarea nuncuparetur. Postremo cum sub imperatore Claudio [1]) Caesare Archelaus ex Cappadocia Romam venisset *ibi diu detentus* occubuisset, in provinciae speciem Cappadocia migravit. (Paflagoniam Pylaemenes rex amicus populi Romani tenuit. Saepe ex ea pulsus regno a nobis est restitutus, quo mortuo provincia Paflagonibus imposita est.)

regem et amicum populi Romani fugavit. VII, II p. 47, 26 et maximam civitatem appellari nomine suo iussit (Tiberius), quae nunc Caesarea dicitur, cum antea Mazaca vocaretur. ibid. v. 24 quosdam reges per blanditias ad se evocatos nunquam remisit, in quis Archelaum Cappadocem, cuius etiam regnum in provinciae formam redegit. (IV c. 20 p. 31, 2 Romanos iuvit Pylaemenes Paflagon V, 5 p. 34, 23: mox Mithridates etiam Bithyniam invasit et Paflagoniam pulsis ex ea regibus amicis p. R. Pylaemene et Nicomede. cf. VI, 14, p. 40, 30.)

Praeterea conferas velim Festi c. V: „Omnes paene Hispaniae“ — „in ditionem nostram acceptae“ cum Eutropii VI c. 1 p. 36, 27 et p. 37, 3 — „atque omnes prope Hispaniae in ditionem populi Romani redactae“, Fest. c. IV: „Numidia sub amicis“ — „in populi R. potestatem N. perv.“ cum Eut. VI c. 26 et 27 [2]), Fest. c. IV: „Mauros Iuba“ — „conscivit“ cum Eut. VI c. 23 p. 43 vv. 25, 30 sq., Fest. c. VII „Illyricos“ — „accepit“ cum Eut. IV c. 8. p. 28 v. 13—15, Fest. c. VIII „Traianus Dacos“ — „exinde Romanis“ cum Eut. VIII 2, IX 8, IX 15, etc. etc. — Atque

---

[1]) cf. Scaliger. ad Euseb. chron. p. 169 a.

[2]) Sed Festus non accurate dicit, Iugurtham per Marium captum esse; recte Eutropius: ‚captum per quaestorem suum Cornelium Sullam‘.

eodem modo nonnulli Festi loci e Floro fluxisse videntur, velut Fest. c. IX ex Flori I, 38, Fest. c. XIII: („Cyprus famosa" — „simus adsecuti") ex Flori I, 33, quos duos locos iam Gardthausenus p. 527 et p. 528 sqq. ad verbum exscripsit; deinde maximopere conspirat Festi c. XI: „Gallograeciam" — „pacem redegit" cum Flori I, 27 [1]) (p. 37 v. 32 sq. v. 28 sqq., p. 38 v. 3—7), quorum locorum exitus, quippe qui mirum in modum inter se consentiant, hic exhibeo:

(Festus.)	(Florus p. 38, 3.)
. . . et confugientes partim in Olympum, partim in Magabam montem, qui nunc Modiacus dicitur, de arduis eos in plana detrusit victosque in perpetuam pacem redegit.	. . . fusi fugatique . . . in altissimos se montes recepissent. Tolostobogi Olympum, Tectosagi Magaba insederant. utrimque fundis sagittisque detracti in perpetuam se pacem dediderunt.

Inspice etiam Festi c. XII („trecenta milia [2])" — „instruxit") et Flor. I, 24, 16; Fest. c. VII init. et Flor. I, 23, 6 (p. 34, 23) etc.

Quos locos, quamquam ex Floro et Eutropio Festus sumpsisse primo adspectu videtur, qui accuratius examinaverit,

---

[1]) Vid. etiam Solin. 41, 1 p. 189 Mommsen.

[2]) Ad hunc locum, cuius vulgata lectio haec est: „trecenta milia armatorum habuit; falcatis etiam curribus et elephantis etc.", Foerster p. 106 adnotavit: „Rufum ‚trecenta milia'" — habet enim Iordan. ‚XXX milia' ed cod. W: ‚XLm' — scripsisse equidem existimaverim, qui Eutropium modo respiciens ex numero occisorum illum totius exercitus numerum ipse coniectura erat adsecutus" Rectius Foerster Florum in comparationem vocasset, qui I, 24, 16 scripsit: ‚trecenta milia peditum, equitum, falcatorumque curruum non minor numerus." Certe uterque — et Florus et Festus — eundem auctorem expressit, cuius verba Florus e more suo in maius auxit. (Negligendum autem non est, in Liv. XXXVII, 40 fere triginta milia militum Antiochi recenseri.)

haud raro Festum sive plura sive alia atque scriptores illos attulisse inveniet. Conferas velim prae ceteris Festi capitis XI locum illum, quem supra p. 30 sq. adpositis Eutropii libelli quibusdam particulis exhibui; statim intelleges, non Eutropio usum esse Festum, cum scriberet, Ariarathem regem per legatos societatem petiisse Romanam et Ariobarzanem Cappadocem armis Romanorum esse restitutum; praeterea cum Festus de Augusto et Claudio narrat, quas res Eutropius recte tradit de Tiberio, vix cogitari potest Eutropii verba hoc loco a Festo esse exscripta. Item alio eiusdem capitis loco, qui ex Flor. I, 27 depromptus esse videtur, etiamsi verba: „qui nunc Modiacus vocatur" facile e suo addidisse Festus potuit, certe praenomina trium illorum imperatorum, qui a Floro Didius tantum et Drusus et Minucius vocantur, a Festo autem M. Didius, M. Drusus, M. Minucius, neque a Floro mutuari neque e suo ingenio adponere potuit Festus. Atque ne id quidem negligendum est, quod Festus aliquot locis, quos e Floro repetiisse videtur, ubi primum Florus halucinari coepit, ab eo recedit, velut in cap. XII, in quo illa verba „trecenta milia etc." maximopere conspirant cum Flor. I, 24, §. 16, sed cum Florus §. 15 negligenter scribat: „Maeandrum ad amnem montemque Sipylum" pugnam contra Antiochum esse commissam, Festus recte Magnesiam memorat (cf. Liv. XXXVII, 37 „circa Magnesiam, quae ad Sipylum est" et Eutrop. IV, 4 „circa Sipylum ad Magnesiam"). Cuius rei simile exemplum tractat Gardthausen. p. 532.

Sed etiam, si concederemus Festum et totum Flori librum cognosse et totum Eutropii atque modo hunc modo illum esse secutum, tamen nonnullae res neque a Floro neque ab Eutropio relatae in Festi breviario nobis occurrunt, quae auctorem nostrum e suo addidisse omnino non est verisimile. Dico, ut exemplis utar, capitis VII locum, ubi Festus narrat: „Creta per Metellum proconsulem . . . provincia facta est", quem Metellum neque Eutropius neque Florus, quamquam uterque bellum Creticum commemorat, vocat proconsulem;

simili modo eodem capite Illyricos per L. Anicium praetorem victos et cum rege Gentio in deditionem acceptos esse Festus recte narrat, cum apud Eutrop. IV, 8 et Gaius nominetur Anicius pro Lucio neque praetorem illum tunc fuisse ullo verbo significetur, apud Florum 1, 29 neque Gentii regis neque praenominis Anicii ulla fiat mentio; deinde et Eutropius et Florus plane tacent de Sarazenorum Phylarchis[1]) (Fest. c. XII) et de Amantinis[2]) victis (Fest. c. VII), item de Pannoniarum rege Batone (Fest. c. VII); porro c. VII Festi verba: „sub Iulio et Octaviano Caesaribus . . . . Alpinis omnibus victis" ex Plinii hist. nat. III, 20, 136: „. . (Augusti) ductu auspiciisque gentes Alpinae omnes . . . sub imp. P. R. sunt redactae" potius quam ex Flor. II, 22 sumpta videri possunt.

Nonnullas autem res, quas Festum neque ex Floro neque ex Eutropio depromere potuisse vidimus, a Livio eundem in modum atque a Festo tradita fuisse facile cognoscitur atque Festus etiam in iis rebus, in quibus narrandis Eutropii vel Flori vestigia pressisse videbatur, aliquoties maiorem cum Livio prae se fert consensum quam cum Floro vel Eutropio. Quam ad rem demonstrandam in memoriam revocari opus est Festum narrare per *Lucium* Anicium *praetorem* Illyricos esse victos, quod ex Eutropii et Flori verbis enucleare non potuit; elucet autem ex Livio (XLIV c. 30 sq.) a Festo recte *Lucium* Anicium *praetorem* nominatum esse; similiter deinde Festum item ac Livium scripsisse per Metellum „proconsulem" Cretam factam esse provinciam, — quod neque Florus neque Eutropius referunt — confimatur periochis Livii 98 et 99

---

[1]) Sarazenorum Phylarchos commemorat Ammian. XXIV, 2, 4 cf. etiam Valesium ad Ammian. p. 283.

[2]) De Amantinis Mommsenus exposuit ad C. I. L. III nr. 3224: »Amantinos inter Dravum et Savum collocat Rufus c. 7, quod hoc titulo videtur confirmari; Ptolem. tamen 2, 15, 3. eosdem locat in regione longe alia vel in septentrionali parte Pannoniae inferioris occidentem versus, fere prope Stuhlweissenburg. cf. Plin. 3. 25. 148.«

collatis. Praeterea conferas Fest. c. VII („ad extremum legatis Roman. etc.“) cum Liv. periocha LII, Eutrop. IV, 14, Flor. I, 32 p. 42, 13 sqq.; Fest. c. V („Rebellantes Lusitanos etc.“ cum Liv. periocha LV et LVI, Eutrop. IV, 19, Flor. I, 32 p. 44, 12 sqq.

Quibus rebus satis probavisse me puto, quae in his capitibus Festus tradit non deprompta esse ex Floro et Eutropio, tamen in eo quem exscripsit libro permulta infuisse Liviana. Nam quamquam haud ingnoro novissimis disquisitionibus esse demonstratum et Florum et Eutropium praeter Livium etiam aliis usos esse auctoribus [1]), tamen in eo vetusta et vulgata

---

[1]) Quod de Floro docuerunt inprimis Spengelius l. l. p. 340, 2 etc. et Carolus Heynius (‚de Floro historico‘ Bonnae 1866), de Eutropio nuperrime Pirogoffius ll. passim (cf. etiam Köcherum [ll. p. 23] aliosque). Sed quicunque has quaestiones accuratius pertractaverit, permultos locos Flori et Eutropii, quos e Livio non esse desumptos illi arbitrantur, re vera ex illo exscriptos esse facile intelleget. Cuius rei satis habeo proposuisse unum exemplum paullo gravius. Heynius p. 50 dicit, Florum Salustii bellum Iugurthinum expressisse (cf. etiam Pirogoff. p. 81 de Eutropio). Bellum Iugurthinum passim tractatur in Liv. periochis LXII—LXVII, quibuscum qui Flori et Eutropii narrationes comparaverit, hac in re duos illos scriptores Sallustium et non Livium secutos esse profecto negabit. Sed ut Livium hoc loco ab Floro et Eutropio exscriptum esse putarem, praecipue eo perductus sum, quod Florus narrat (p. 49, 17 Halm): ‚opertum catenis Iugurtham in triumpho populum Romanum adspexisse‘, de qua re nihil affert Sallustius; deinde Eutropius dicit (p. 32, 22 Hartel): »ante currum tamen Marii Iugurtha cum duobus filiis ductus est catenatus et mox iussu consulis in carcere strangulatus,« quas res ne verbo quidem attingit Sallustius, sed Livii etiam in periocha LXVII perspicua exstant verba: »In triumpho C. Marii ductus ante currum eius Iugurtha cum duobus filiis et in carcere necatus est.« Praeter eas tamen quas modo dixi res ad comprobandam sententiam meam proferam, Eutropium item ac Livii periocham LXI in medio bello Iugurthino enarrando victorias Romanorum de aliis gentibus reportatas recensere. (Quamquam Sallustius quoque b. I. c. 144 de bello contra Gallos gesto

sententia stabit, quod, si non omnia, certe plurima quae de liberae reipublicae temporibus tradiderunt nobis Eutropius et Florus ex Livii annalibus fluxerunt.

Iam quaerendum est, utrum Festus ipsum Livium exscripserit an alio auctore usus sit Livium secuto. Nam quamquam cuilibet per se non videtur consentaneum ipsos Livii annales a Festo expressos esse, tamen certis causis opinionem illam refutari necesse esse censeo. Atque primum quidem Festo, si ipsum Livium adhibuisset auctorem, quas tradit res ex numerosis et uberibus Livii libris summo negotio colligendae et geographica ex ratione ordinandae fuissent; huc accedit, quod, etiamsi omnia quae affert Festus de rebus iis temporibus gestis, quae Livii annalibus continentur, ex illis sumpta esse possent, fieri non potuit, quin Festus ad cognoscendas res,

---

mentionem fecit, nemo profecto dixerit ex Sallustianis verbis: »Per idem tempus adversus Gallos ab ducibus nostris Q. Caepione et Cn. Manlio male pugnatum« Eutropii fluxisse verba p. 32, 18—21; in Livii integro libro LXV has res descriptas fuisse, illius libri periocha significari videtur (Eutropii error p. 32, 19 [Cimbri victi]). Porro Heynius in defendenda sententia sua p. 49 sq. aliquot Flori locos exhibet, quos omnes non ex ipso Sallustio sed e Livio sumptos esse a Floro, cumLivii libri illi deperditi sint, pro certo vix licet affirmare. Sed quinque locorum ab Heynio allatorum primus et ultimus certe nihili sunt. Nam »fides« illa »publica«, qua sive »interveniente« sive »interposita« Iugurtha Romam venit, etiam occurrit in Liv. periocha LXIV (»Iugurtha *fide publica* evocatur .... Romam venit. cf. etiam Sallust. b. I. c. 35, 7: »Bomilcar .... Romam fide publica venerat); deinde quod ad ultimum attinet, iusta non videtur exstare causa, cur Heynius p. 50, dixerit: »porro quae 59, 10 [Iahn. 49, 19 Halm.] de Iugurtha narrantur ex Sallust. XXXV, 10 hausta;« cur non e Livio? cf. perioch. LXIV: »cedens urbe fertur dixisse: *o urbem venalem et* cito *perituram, si emptorem invenerit;*« Flor. 49, 19: »sed ille ... vidit urbem, quam venalem et quandoque perituram, si habuisset emptorem, frustra cecinerat; iam ut venalis fuisset, habuit emptorem; cum illum evaserat, certum est non perituram; Sallust. b. I. XXXV, 10: » ... postquam Roma egressus est, *fertur* ... *dixisse*: ‚*O urbem venalem et* mature *perituram, si emptorem invenerit.*‘

quae post annum IX a. Chr. n. acciderunt, ad alium auctorem se conferret. Hanc autem libros componendi rationem plane alienam esse ab ea, qua cum omnes paene veteres auctores tum illius saeculi epitomatores usi sint, quis est, qui neget?

Ex iis igitur quae supra exhibui exemplis dilucide apparet, permulta, ut ita dicam, Liviana exstare in Festi narrationibus. Atque etiam in illo libro, quem, ut antea notavi, Ammianus exscripsit, multa infuerunt, quae eodem ex Livio fluxisse Gardthausenus nuper docuit (p. 526 sqq.)[1]. Atque cum Ammianum in iis quae tradit de provinciis in Romanam ditionem redactis ita conspirare videamus cum Festo[2], ut eundem auctorem ab utroque in usum vocatum esse infitiari nequeamus[3], deinde cum Festum in iis tantum locis, qui cum Ammiani partibus a nobis comparari possunt, illo Ammiani auctore usum esse omnino non sit probabile, — omnia quae in capitibus III—XIV memoriae prodit de Romanorum bellis atque victoriis Festum ex hoc ipso fonte repetivisse haud temere conclusisse mihi videor. Praeterea provinciarum nomina, quae Festus in extremis IV—IX adponit, ex provinciarum aliquo indice sumpta esse iam supra exposui.

---

[1]) cf. cum locis Festi et Ammiani a Gardthauseno p. 533 exhibitis Liv. periocham 70: »Ptolemaeus Cyrenarum rex, cui cognomentum Apioni fuit etc.«

[2]) Praeter eos, quos Gardthausenus laudavit Festi et Ammiani locos comparandum est Fest. c. XII (inde a verbis: »postea per Pompeum etc.«) cum Amm. XXIV c. 8, 8 p. 21, 24 sqq.

[3]) Gardthausenum p. 532 sq. demonstrasse Festum non esse expressum ab Ammiano iam supra notavi.

CAPVT II.

1. Iam quaerendum erit, quibus ex fontibus Festus alteram breviarii partem (XV—XXIX) hauserit. Atque haec quidem disquisitio in tres particulas dividenda erit, quarum in prima, cum de breviarii capitibus XV—XIX disputaturus sim, eodem modo atque supra demonstrare mihi in animo est, Festum hic neque Eutropium neque Florum neque utrumque simul expressisse. Quodque ad Florum attinet, duo tantum loci libelli eius cum his breviarii nostri capitibus comparari possunt, quorum alter exstat I c. 46, alter II c. 32 (et 34); quod enim Florus I, 46 de bellis a Crasso cum Parthis gestis memoriae tradidit, plane congruit idque passim ad verbum cum ea narratione, quam Festus de iisdem rebus in XVII capite brev. nobis praebet. Una tantummodo discrepantia notanda est[1]); Florus enim refert Crassum Parthorum legatis ‚*Seleuciae* se responsurum esse respondisse' (p. 62, 35), Festi autem verba sunt: „apud Ctesiphontem responsurum se ait." Ceterorum scriptorum, quantum equidem investigare potui, solus Plutarchus huius dicti mentionem fecit in vita Crassi c. 18 his verbis: ‚*ὡς ἐν Σελευκείᾳ δώσει τὰς ἀποκρίσεις.*' Sed quoniam re vera Seleucia

---

[1]) Nam quod Florus transfugam illam »Mazaram« vocat (p. 63, 3), Festi autem vulgata lectio nomen »Abgari« praebet, nullius fere momenti est. Nam nomen illud patet facillime a librariis corumpi potuisse; quo accedit, quod etiam Festi aliquot codices, quamvis deterioris notae, ut Muennich. ad h.l. adnotat, pro »Abgaro« tradunt »Mazaro« vel »Maracho«; Foerster de hoc nomine nihil affert.

et Ctesiphon paene eundem locum significant, in medio relinquimus, utrum consulto Ctesiphontis nomen a Festo positum sit an negligentia quadam auctoris inrepserit in textum. — Porro alterum Flori locum II c. 32 (et 34) omnino si non ad verbum, tamen in rebus cum breviarii capite XIX prorsus concordare primo adspectu dilucide apparet. In ceteris autem Festi huius partis capitibus (XV, XVI, XVIII) paene nullus locus ita cum Floro conspirat, ut alicui in mentem venire possit e Flori narratione eum esse depromptum (nisi forte finem c. XVIII Festi ‚a gladiatore' cum Flor. p. 96 v. 34 comparari posse credas). In pluribus autem quam cum Floro conferre potuimus locis breviarii Eutropii vestigia Festus pressisse videtur. Velut quas res a Lucullo contra Mithridatem et Tigranem gestas Festus in fine c. XV describit, eundem in modum refert Eutropius VI (c. 8 et) c. 9. Dissentire tantum videntur in enumerandis Tigranis militibus, inter quos secundum codices Festus „centum viginti" Eutropius „centum" milia sagittariorum fuisse dicit [1]). Dubius haereo, utrum hoc „viginti" additamentum Festi an, cum infra communem utriusque fontem probaturus sim, in Festi loco accuratiorem numerum nobis servatum esse censeam. Deinde hac in Festi narratione, quae ceterum, ut dixi, plane cum Eutropio conspirat, unum quidem locum invenimus, qui apud Eutropium plane desideratur. Festus enim inter narrandas expugnationes Tigranocertae et Nisibis de intinere Luculli verba facit, quae multas doctis viris difficultates pararunt [2]); neque ego ad ea illustranda quidquam afferre possum. At plane alucinatum esse hoc loco Festum id omnino non probabile mihi videtur.

---

[1]) cf. Foerster. p. 101, qui satis dilucide docet, Eutropium item atque Festum ‚septem milibus clibanariis' scripsisse et »quingentis« a diorthota inditum esse videri ad tuendum »clibanariis«, quod cum voce »milibus« congruere haud videretur.

[2]) cf. Boecking. N. D. I, 399 et locos a Muennichio ad h. l. allatos p. 61 sq. edition. s. vv. »Medena« et »Melitena«.

Praeter hos autem capitis XV breviarii nostri locos etiam sequentis capitis permultos ab Eutropio mutuatus esse Festus videtur. Initium enim capitis XVI inde a verbis: „Gneius Pompeius expertae felicitatis“ usque ad „in Bosporon fugit“ conspirat cum Eutropio VI, 12 (p. 40, 7—14); sed primum, quod minoris momenti est, numerus occisorum Tigranis militum ab utroque non plane idem resensetur, cum Eutropius „quadraginta milia eius occidit“, Festus autem „caesis *duobus* et quadraginta milibus hostium“ scribat[1]); deinde quod Eutropius Mithridatem in Bosporon profugisse silentio praeteriit, Festum hoc ex Eutropii verbis „periit apud Bosporon“ interpretatum esse nemo certe asseveret, praesertim si consideraverit, primum illud „Bosporon profugisse“ etiam in Livii periocha 101 nobis servatum esse, deinde de Mithridatis mortis genere, quod Festus diserte explicat, ne verbo quidem Eutropium mentionem fecisse. — Sed posteriorem huius capitis (XVI) partem ex Eutropio decerptam esse prorsus negandum mihi videtur. Quam in sententiam, quamvis pleraeque res saepius etiam iisdem verbis ab utroque nuntientur, et diversus narrationis ordo et nonnullae res a Festo traditae, ab Eutropio autem omissae me adduxerunt. Festus enim, ut exemplis utar, haec facit verba: „(Tigranes) intra Armeniam maiorem regnare permissus est“ (cf. Liv. perioch. CI: „ei regnum Armeniae restituit“) vel „(Pompeius) cum Persis foedus facit“ (cf. Flor. p. 56, 22 sq.), quas res ne attingit quidem Eutropius[2]). Porro Festus in ultima capitis parte narrat 1. de (Bos-

---

[1]) Utriusque autem numero ex eodem fonte (Livio) fluxisse, luculenter apparet, si aliorum scriptorum rationem habemus, velut Plutarchi, qui in vita Pompei. c. 32. *τρισμυρίους πεζοὺς ἐν φάλαγγι καὶ δισχιλίους ἱππεῖς* Mithridatem ante pugnam habuisse narrat vel Appiani, qui bell. Mithr. c. 100: *Καὶ ἀνερέθησαν ἐς μυρίους* tradit.

[2]) Festus praeterea narrat Mesopotamiam Tigrani ademptam esse, qua de terra Eutropius tacet; deinde Festus *Bosporanis* et Colchis Aristarchum regem impositum esse a Pompeio scribit, apud Eutropium Colchorum tantummodo nomen exstat. Sed de his duobus

poranis et) Colchis, 2. de Albanis, 3. de Iberia, 4. de Sarazenis et Arabibus, 5. de Iudaea (de Persis), 6. de Antiochia; contra Eutropius 1. de Albanis, 2. de Iberia (de Armenia minore, de Paflagonia), 3. de Colchis (de Seleucia), 4. de Antiochensibus, 5. de Iudaeis. — Neque vero cetera huius particulae capita (XVII, XVIII, XIX) a Festo ex Eutropio sumpta non esse difficile ad demonstrandum est. De Gai enim Caesaris in Parthos expeditione, quam Festus in c. XIX plurimis verbis enarrat, nil apud Eutropium invenimus atque demum tres ultimos h. c. versus, in quibus de obsidibus Parthorum et de legatione Indorum narratur, cum Eutropio p. 47 v. 5—10 conferre possumus. Similiter in cap. XVIII, quamquam aliquot in locis Festi narratio cum Eutropio conspirat, de permultis tamen rebus a Festo docemur, quas Eutropius plane neglexit (cf. p. 43 sq.). — Maximam autem vim in solvenda quaestione nostra — utrum Festus his in capitibus Eutropium expresserit necne — capiti XIV tribuerim, e quo effici mihi videtur, Festum his in capitibus etiam de iis rebus, quas Eutropius non solum adumbravit, sed pluribus verbis exposuit, eum non vocasse in usum. Festus enim l. c. atque Eutropius VI, 18, cum Crassi expeditionem Parthicam memoriae prodant, non summas tantum res attingunt, sed, ut epitomatores, satis diffuse explicant. Attamen suas quisque in singulis res affert: Eutropius enim et nomen loci, apud quem pugnatum est (Carrhas) et nomen regis Parthorum (Orodem) nobis tradit, idem narrat de adversis ominibus et auspiciis ante expeditionem factis, deque filii Crassi morte, quarum rerum omnium nulla apud Festum mentio fit; contra hic refert de Parthorum legatione Crassique responso, deinde uberius describit, quomodo Crassus

---

rebus Festum in errorem incidisse in propatulo est (cf. Liv. perioch. 101, Dio XXXVI, 53 [I, 195 Dind.], Plut. Pomp. c. 33). — Haud male coniicit Tzschukkius ad h. l. post ‚Bosporanis‘ excidisse ‚Pharnacem‘ (cf. Appian. bell. Mithr. 114 *καὶ Φαρνάκη Βόσπορον*).

mortuus et quam foede corpus eius tractatum sit, tum nos de nomine transfugae cuiusdam, Abgari (?), et alterius regii praefecti, Silacis, — Eutropius nominat modo Surenam — certiores facit, quarum rerum omnium memoria omnino non continetur Eutropii libro. — At enim hic dixerit quispiam sane Florum, ut supra demonstratum est, a Festo expressum esse hoc in capite — exceptis nimirum iis rebus, quas Festus in eius fine Eutropio auctore narrat, nam has Florus nusquam commemorat. Sed qua de causa hic Festus ab Eutropio, quem et in antecedente capite et in huius capitis fine ducem secutus esse videtur, ad Florum descivit? Atque si concedam Festum, quotiescunque ei libuerit, modo Eutropium modo Florum in usum vocasse, tertius tamen auctor ponendus sit, a quo Festus eas res petierit, de quibus et Eutropius et Florus tacent, velut nomen Parthorum regis Arsacis (c. 15) vel quod Parthi ad Sullam legationem miserunt vel quod Tigrani regnum Armeniae a Pompeio restitutum est, quod Mithridates „a milite suo" occisus, Labienus a P. [1]) Ventidio Basso „in Tauri monte" devictus est.

Sed quamquam sententia, ex qua Festus in his capitibus (XV—XIX) componendis tribus usus sit auctoribus, plane repudianda est, praesertim cum infra p. 46 sqq. in sequentibus capitibus unum tantummodo auctorem a Festo paene ad verbum esse expressum demonstrari possit, tamen tot rerum et verborum nobis occurrunt inter Festum et Florum et Eutropium consensus, ut tres illos scriptores e communi fonte hausisse iam nunc pro certo affirmari possit.

Itaque Livius in comparationem vocandus est, de quo supra est dictum; ibi breviter exponere conatus sum multo magis Eutropium et Florum eo usos esse quam in novissimis commentationibus de hac re conscriptis conceditur. Atque

---

[1]) Falso eum Eutropius Lucium vocat, recte Publium Festus, Liv. periocha 127, C. I. L. I, 461.

etiam ea quae sequitur disquisitione sententiam meam confirmatum iri spero. Primum enim aliquot rerum, quas Festus narrat, Eutropius autem et Florus omnino non attingunt, in Livii periochis mentio fit, velut legationis Parthorum ad Sullam[1]) missae (Fest. c. 15, perioch. 70), Mithridatis in Bosporum fugae (Fest. c. 16, perioch. 100), regni Armeniae Tigrani restituti (Fest. 16, perioch. 101), percussoris Mithridatis (Fest. c. 16, perioch. 102) etc. — Deinde autem certe maximi momenti est, quod etiam in breviarii loci, qui ex Eutropio sumpti esse videbantur, haud raro maiorem cum Livii periochis quam cum Eutropio (vel cum Floro) consensum ostendunt. Quam ad rem declarandam aliquot locos ex Eutropio, Festo, Periochis exscriptos infra componam, quibus occasione oblata Flori verba adiungam.

Eutrop.	Festus c. XVIII.	Perioch. Liv. 127.	Flor. II, 19.
nil	Parthi Labieno qui Pompeianarum partium fuerat et victus ad Persas refugerat duce in Syriam inruperunt ac totam provinciam occupaverunt.	Parthi Labieno qui Pompeianarum partium fuerat duce in Syriam inruperunt ac totam provinciam occupaverunt.	
Eut. VII, 5. et Lucius Ventidius Bassus inrumpentes in Syriam Persas tribus proeliis vicit.	Fest. Sed *P. Ventidius Bassus Parthos* qui *ducente* Labieno Syriam invaserant occurrens in Tauro monte cum paucis fugavit, *Labienum occidit;* persecutus	Liv. perioch. *P. Ventidius Parthos* proelio victos Syria expulit, *Labieno* eorum *duce occiso.*	

[1]) Ad Sullam „proconsulem“ scribit Festus, quod falsum est; cf. Plut. Sull. c. 5 *μετὰ τὴν στρατηγείαν*. cf. etiam Fischer. (Zeittafeln p. 171.)

Florus.	Eut. c. VII, 5.	Festus.	Liv. perioch.
		est Parthos ad internicionem stravit, qua congressione Parthorum regis filium eadem die, qua Crassus victus fuerat, occidit, ne aliquando Romani ducis mors inulta relinqueretur. Ventidius de Persis primus triumphavit.	(perioch. 128.)
	Pacorum regis Orodis filium interfecit eo ipso die, quo olim Orodes Persarum rex per ducem Surenam Crassum occiderat. hic primus de Parthis iustissimum triumphum egit Romae.		
II, 20.	c. 6.		perioch. 130.
	Antonius contra Persas etiam ipse pugnavit.	*M. Antonius Mediam ingressus*, quae nunc Medena appellatur, *bellum Parthis intulit et* primis eos proeliis vicit. verum post *duabus legionibus amissis*, cum *fame, pestilentia*, *tempestatibus* premeretur; vix per Armeniam *Persis insequentibus* revocavit exercitum; tanto per momenta temporum terrore perculsus, ut a gladiatore percuti postularet, ne vivus veniret in hostium potestatem.	*M. Antonius tarde Mediam ingressus* *bellum Parthis intulit. et* cum *duabus legionibus amissis* ... rediret *insecutis* subinde *Parthis* in Armeniam reversus est. *tempestates* quoque . . . .
	primis eos proeliis vicit.		
p. 96, 9: missis undique sagittis duas legiones opperuerunt.	regrediens tamen *fame* et *pestilentia* laboravit et cum instarent Parthi fugienti ipse pro victo recessit.		
cf. p. 96, v. 30; v. 34: et subinde inter moras ab gladiatore suo mortem flagitasset.			

Hos locos idoneos sententiae meae testes esse, quisquis perlegerit, concessurum esse existimo. Ubi res ipsa clamat, quid verbis opus est. Nemo hercle contendit, Festum ex tribus illis libellis breviarium suum conglutinasse, immo narrationes Festi luce clarius est ex eodem fonte fluxisse, ex quo tres illi sive omnia sive pleraque hauserunt. Itaque Livium Festus in capitibus XV—XIX expressit vel potius, quod verisimilius videtur, aliquam Livii epitomam ampliorem nostris periochis.

2. Quemadmodum in superioribus capitibus Festum unum Livium vel Livii epitomam in usum vocavit, in sequentibus capitibus XX—XXIV (XXV) unum tantummodo auctorem secutum esse Festum haud difficili negotio demonstrari posse opinor. Atque auctorem illum, cuius vestigia in enarrandis rebus post Livii aetatem gestis presserit, esse Eutropium, qui libellum suum paucis annis ante in lucem edidit, iam per se ipsum probabile videtur. Comparanti autem utriusque narrationes alterum ab altero haud raro ad verbum expressum esse dilucidissime apparebit. Significabo iam locos Festi et eas Eutropii particulas, ex quibus Festus sua deprompserit: cap. 20 Festi: (Nero — Traianus): Eutrop. p. 48 v. 31 sqq. Hartel.; Fest. (Traianus — Hadrianus): Eut. p. 53, 13, 14, 18—28; Fest. (Hadr. — fin. cap. 20): Eut. p. 54, 31 — p. 55, 1; cap. 21 Fest. (Antonini duo — Sept. Sev.): Eut. p. 56, 3—5 et 9—15; Fest. (Sept. Sev. — Antoninus): Eut. p. 58, 17, 25—28; Fest. (Antoninus — fin. c. 21): Eut. p. 59, 6, 9, 12, 13; cap. 22 Festi (Aurelius Alex. — sub Gord.): E. p. 59, 26—31; Fest. (sub Gord. — fin. cap. 22): Eut. p. 60, 16—22; cap. 23 Festi (Valerian. — sub Gallien.): Eut. p. 61, 10—17; Fest. (sub Gallieno — fin. cap. 23): Eut. p. 61, 28, 29, p. 62, 11—15; cap. 24 Festi (Aureliani — Cari): Eut. p. 63, 4—8; Fest. (Cari — fin. cap. 24): E. p. 64, 20—23; cap. 25 Festi (sub Diocletiano — fin. cap.): Eut. p. 66, 27 — p. 67, 6 (30). —

Tamen quos proposui Eutropii locos Festus non semper integros in libellum suum transtulit, sed saepius ampliavit

et multifarie exornavit. Itaque haec additamenta cum perpaucis exceptis eiusmodi sint, ut Festum ex aliis fontibus ea hausisse contendere non possimus nisi perabsurde — nam novam rem paene nullam exhibet — sed potius ille res ab Eutropio strictim et compresse narratas quasi rhetorico more pluribus inlustrasse videatur, hanc potissimum ob causam eum his in capitibus unius Eutropii vestigia pressisse pro certo habeo. Quam ad sententiam defendendam necesse erit de additamentis illis paullo accuratius disseratur. Primum enim Festus aliquoties pauca verba nominibus imperatorum adstruit, ut eorum mores lectoribus depingat. De quibus etsi Eutropius non eadem verba facit, tamen cum hic similem vel eandem omnium illorum imaginem conformat, tum certe unusquisque Romanus aliquo modo eruditus tantam historiae cognitionem habuit, ut de suo posset e. g. iudicare de Nerone (Fest. c. 20): „quem turpissimum imperatorem Romana est passa respublica“ (cf. Eut. VII, 14) vel nominare Septimium Severum „acerrimum imperatorem“ (Fest. c. 21. cf. Eutr. VIII, 18) et Valerianum „infaustum principem“ (Fest. c. 23. Eutr. IX, 7: infelicitate principum). Alia autem additamentorum genera non tam aut ex aliis fontibus aut e memoria hausta quam e verbis Eutropii derivata esse facile intellegi potest. Quo pertinet quod in cap. 20, postquam Eutropio auctore legiones sub iugum a Parthis missas esse narravit, addit: „extremo dedecore Romani exercitus sacramenta foedarunt“ aut in cap. 23 Eutropii (IX, 10) verba „usque ad Ctesiphontem Odenathus penetravit“ auget ita „non modo nostrum limitem defendisset, sed etiam ad Ctesiphontem penetrasset.“ — Qua ex consuetudine verba Eutropii amplificandi procul dubio permulti alii loci originem duxerunt, velut c. 22: „exequias eius Romam cum maxima venerationis reverentia deduxerunt“ (Eutrop. IX, 2: „exequias Romam revexit“), aut eiusdem capitis verba: „Ipse Persarum regem Xerxen gloriose vicit. ... De Persis pompa spectabili triumphavit“ (Eutr. VIII, 23: „suscepto adversus Persas bello Xerxen eorum regem

gloriosissime vicit.") — Quae cum ita sese habeant, non mirum esse videtur quod Festus saepius Eutropii narrationem ita ampliat, ut quomodo Festus sua ex Eutropio duxerit cognoscere omnino non possimus. Dico non solum illa minoris momenti additamenta, ut „strenuissime vicit" pro „vicit" (Fest. c. 21, Eut. VIII, 18) aut „fusis aliquoties Persis" pro „Persae victae" (Fest. c. 23. Eutr. IX, 10), sed praecipue ampliora illa additamenta, quae occurrunt in cap. 23 et 24, quorum in priore Festus Zenobiam dicit „multis clibanariorum et sagittariorum milibus fretam" pugnasse et in posteriore Odenathum „collecta Syrorum agrestium manu" de Persis vicisse. Haec autem additamenta ideo maximi esse momenti mihi videntur, quod a Festo de suo composita ea esse probari posse opinor. Nam cum illud de Zenobia Festus scripsisse videtur ratione habita XV capitis („Requiris profecto quibus vicibus sagittis pila contenderint." „Tigranem . . . cum septem milibus clibanariis et centum viginti sagittariorum") tum quod de Odenatho dicit summopere suspicionem movet.[1]) Idem enim eodem modo iisdemque fere verbis de Camillo quoque capite quinto („collecta de agris multitudine") memoratur; cum vero neque hic neque illic ullus alius scriptor similia retulerit veri est simillimum utroque loco verba ea non addita esse a Festo nisi ut narrationem suam quodammodo ornaret. Habemus autem duo alia additamentorum genera, quae quin Festus de suo conscripserit, profecto nemo dubitabit, quorum generum alterius insigne exemplum exstat in cap. 20, in quo ad Eutropii VIII, 3 verba: „provincias fecit Armeniam, Assyriam et Mesopotamiam" addit: „quae inter Tigridem atque Euphratem sita, irriguis amnibus, instar Aegypti, foecundatur."[2]) Praeter haec autem

---

[1]) Zosim. I, 39 quod de Odenathi copiis dicit, certe aliud significat.

[2]) Similiter ibid. Eutropii verbis: »usque ad Indiae fines accessit« addit »post Alexandrum« etc.

et alia, ut ita dicam, additamenta historica commemoranda sunt ea, quae in propatulo est rhetorica quadam de causa adposuisse Festum significaturum nobis quasi interiorem inter res connexum et necessitatem; velut dicit de Alexandro Severo (c. 22): „quasi fato quodam in exitium Persicae gentis natus", [1]) et de Caro qui fulminis ictu interiit c. 24: „Cari „imp. victoria de Persis nimium potens superno numini visum „est. Nam ad invidiam coelestis indignationis pertinuisse credenda est." [2]) [3]) — Perpauca autem sunt ea additamenta, quae Festum non de suo addidisse aliquo iure quispiam asseverare possit; [4]) velut ea verba, quae secundum vulgatam lectionem exstant in cap. XX: „(Nero) amisit Armenias duas: tum Romanae legiones duae sub iugum a Parthis missae" de quibus certe dubitandum esse videtur, num fluxerint ex Eutropii verbis (VII, 14): „Armeniam Parthi sustulerunt; legiones Romanas sub iugum miserunt." Sed Foester p. 104 nos edocet codices valde fluctuare hoc loco; habet enim codex W: „amisit Armenias duas. tunc Romanae legiones ad Persas missae," et codd. familia X (i. e. codd. G B W[1] „tres

---

[1]) Fere item de Caro apud Dion. contin. fragm. 12 apud Müller F. H. G. IV p. 198: *εἰρηκέναι τὸν Κάρον ὅτι ἐπὶ κακῷ Περσῶν εἰς βασίλειαν ἦλθεν*.

[2]) Similiter c. 22. Festus Eutropii duas narrationes, in quarum altera dicit Gordianum imp. admodum puerum fuisse, in altera Parthos bellum molitos esse, ita coniungit, ut scribat: »ex iuventutis fiducia rebellantes Parthi.«

[3]) Festi his in capitibus additamenta, quamquam supra plurima commemoravi, levissima tamen silentio praeterire mihi licere censui (ut »sublata diademate« aut »inter Romanos et Parthos« c. 20 etc.); semel autem non sine certo consilio Eutropii verba mutasse Festus videtur, cum c. 21 res a Vero contra Parthos gestas exponat: hic enim pro Eutr. VIII, 10: »multa *per duces* et ingentia patravit« dicit »multa et ingentia feliciter gessit« et Eutropii: »cum fratre eodemque socero triumphavit,« ita auget, ut scribat: »*ingenti* gloria de Persis cum socero triumphavit.«

testes optimi" p. 99): „amisit Armoeniam. duae tunc Romanae legiones sub iugum a Persis missae." Itaque optimorum codicum ex auctoritate Festus, quamquam non „Armenias duas" sed tantummodo „Armeniam" scripsit, tamen *duas* tunc Romanas legiones sub iugum missas esse tradidisse videtur; praesertim cum etiam Iordanes hoc „duas legiones" ab eo mutuatus sit. Sed cum Eutropius post verba: „legiones Romanas sub iugum miserunt" pergat „*duae* tamen ab eo provinciae factae" haud improbabiliter conicere mihi videor illud Eutropii „duae (II)" a Festo negligenter cum verbo „legiones" esse coniunctum. — Aliam autem rem a Festo allatam, cuius nulla memoria apud Eutropium exstat, falsam esse Herodiani testimonio cognoscimus. Nam cum Festus narret, Caracallam apud Edessam obiisse et ibidem sepultum esse, Eutropius defunctum tantum eum apud Edessam tradat, [1]) Herodianus IV, 13, 8 diserte describit, Macrinum corpore imperatoris combusto cinerem ad sepeliendum matri Antiochiam misisse. Quae Festi narratio cum a nullo alio scriptore similiter referatur et certe falsa sit, ex ipsius ingenio vel potius memoria haud accurata emanasse mihi valde probabile videtur; deinde nullo alio loco traditur et certe falsum est, quod Festus Odenathum „decurionem" Palmyrenum nominat, qua de re subtiliter Tillemontius disseruit (III, 3, article 6 p. 957 éd. Bruxelles 1712). [2]) Quibus in rebus cum Eutropii verbis e falsa saepius et haud accurata memoria nonnulla addidisse videatur, etiam duo quae restant eius additamenta, quorum utrumque ab aliis auctoribus comprobatur, e memoria Festum adposuisse, haud temerarie contendere mihi videor; apud Immam enim victam esse Zenobiam

---

[1]) Cf. Scaliger. ad Eusebium p. 211, 6.

[2]) Hieronymus (ed. Schoen. p. 183) totum hunc Festi locum exscripsit: »Odenathus decurio Palmyrenus collecta agrestium manu etc.« Eusebius apud Synkell. 716, 22 (Schoene p. 183) narrat tantum; »Ὠδέναθος κατὰ Περσῶν ἀριστεύσας etc.«

(F. c. 24, vid. Eutr. IX, 13) confirmat Eusebius apud Syncell. 721, 7 (Schoene p. 185); deinde Festus in c. 22 narrat, Gordianum fraude Philippi „qui praef. praet. ei erat“ occisum esse, qua de re Eutropius scribit: ‚interfectum eum esse fraude Philippi qui post eum regnavit.‘ Philippum autem praefectum praetorio Gordiani fuisse, comprobat Capitolinus in vit. Gordiani c. 29. —

Itaque cuius iam finem faciam commentationis particulae, in ea exponere conatus sum, omnia quae in breviarii nostri capitibus XX—XXIV praeter res etiam ab Eutropio relatas memoriae tradita sint Festum vel rhetorico modo conscripisse vel — id quidem rarius — e memoria addidisse. Et quamquam non unumquodque additamentum mihi contigit pro certo evincere ex ipsius Festi ingenio emanasse, tamen cum universam additamentorum illorum indolem tum id spero sententiam meam probabilem esse redditurum, quod nonnunquam, ubi non tam in verborum sententiarumque inani cultu adiungendo versatur, quam novas res adponit, Festus falsus est. —

3. Cui sententiae maiorem fidem adrogat, quod Festus in sequenti capite XXV partim ut in antecedentibus Eutropium exprimit, partim ut in ultimis breviarii capitibus (XXV—XXIX) neglecta Eutropii tenui narratione e recenti memoria uberius de pugnis refert. [1])

Vicesimi quinti enim capitis prima pars inde a verbis: „Maximianus Caesar“ usque ad: „accurrerit purpuratus“ plane

---

[1]) Etiam non plane praeteream silentio, quod Festus quamquam exceptis aliquot de moribus imp. verbis semper eos tantum Eutropii locos transcribit, in quibus bella Parthica tractantur, semel tamen ei accidit, ut etiam alium nuntium ex Eutropio sumeret. Scribit enim c. XXII mediis in enarrandis Parthicis bellis: »Hic Alexander scriniorum magistrum habuit Ulpianum iurisconsultum« vid. Eutr. VIII, 23, qui locus interpolatus esse non recte videtur Wagenero in Phil. Anz.

ex Eutropio VIIII, 24 deprompta est, sequentis autem partis usque ad: „eius et filiae captae sunt“ pleraque Eutropii libro IX cap. 25 continentur, nonnulla autem addidit Festus: res denique, quae in huius cap. ultima parte tractantur, ab Eutropio plane neglectas, procul dubio — quantum nobis diiudicare licet — de suo composuit.

Itaque iam hoc in capite et praecipue in sequentibus ad id animus advertendus est, ut inquiramus, utrum etiam ab aliis auctoribus res illae relatae et comprobatae sint an uni Festo debeantur.

Iam in cap. 25 Festus nonnulla nobis prodit, quorum alii testes non exsistunt; velut narrat, *vix impetrasse* Maximianum a Diocletiano, ut iterum cum Persarum rege proelium committeret; atque profecto verisimile est Diocletianum Maximiano victo, ut pugnam repeteret, non statim permisisse; attamen quoniam Festum narrationem suam saepius rhetorico modo exornasse supra eluxit, vix Tillemontio adstipulari possum aut Gibbonio[1]) hanc Festi relationem sine ulla dubitatione secutis[2]). Multo sane lubentius duobus illis praeclarissimis historicis (ibid.) atque item Burkhardtio[3]) assentior in eo, quod numeri militum Maximiani, quibus tandem vicerit regem Persarum, uni auctori Festo fidem habent. — Deinde alia res hoc in cap. tradita contra Eutropii verba — quod nusquam antea accidit — vehementissime pugnat; Festus enim dicit, uxorem filiasque Narsei captas cum maxima pudicitia custodia esse reservatas, Eutropius IX, 27 autem eas in triumpho ante currum ductas esse affirmat; sed hac de re Festum nobis genuinam servasse narrationem testis est Petrus Patricius (fragm. 14.

---

[1]) Gibbon, hist. of the decline and fall of the Roman Empire. Basil. 1787, tom II, 120 (c. XIII). — Tillemont. IV, 60 Br. 1709.

[2]) De simili re vid. Gibb. c. XIII, n. 73, ubi falso Eutropius pro Festo citatur.

[3]) Die Zeit Constantins p. 122.

Müller FHG IV, 189), qui eas pace facta Narseo redditas esse exponit. Igitur earum imagines tantummodo triumphalem pompam auxerunt (vid. Gibbon. c. XIII, adn. 87). — De condicionibus autem pacis Festus memoriae prodit, Persas Mesopotamiam cum Transtigritanis quinque regionibus imperatori reddidisse; quinque illas provincias redditas confirmat Petr. Patricius (fragm. 13. ibid. p. 188), de Mesopotamia autem recte disseruit Tillemontius (IV, p. 62 éd. Brux. 1709): „qu'il (Narse) renonça à ses prétentions sur ce pays; car les Romains le tenaient déjà."

Constantini expeditionem Persicam, quam Festus in cap. XXVI fusius describit, brevissime tractat Eutropius X, 8 his verbis: „bellum adversus Parthos moliens, qui iam Mesopotamiam fatigabant .... obiit (sc. Constantius)." — Recentem autem Constantini de Gothis victoriam atque Persarum legationem multis aliorum auctorum locis confirmari iam Tillemontius (IV art. 70, p. 394 et art. 72 p. 403) ostendit. In alia autem re Festi narrationem et testimonium Eusebii summopere inter se pugnare omnes viderunt. Dico illum Festi locum, in quo scribit: „.... supplex (ed. Mecen: multiplex) ad eum legatio adcurreret et facturos imperata promitteret. Nec tamen pro assiduis eruptionibus, quas sub Constantio [1]) Caesare per Orientem tentaverant, veniam meruerunt." [2]) Contra Eusebius vit. Constantin. IV, 57 narrat, pacis amantissimum illum principem amicitiae foedus libenter iniisse, cui sanctissimi viri testimonio fides habenda esse Tillemontio

---

[1]) Ita enim legendum est, non Constantino: vid. Cellarium ad h. l. et Mansonem (Leben Constantins p. 161, n. 6).

[2]) Erat cum Festi verba eum in modum interpretari me posse putarem, ut cum Eusebianis conspirarent; concludebam enim e verbis: »facturos imperata promitteret« pacem inter Constantinum et Persas factam esse. deinde pro »meruerunt« »meruerant« scribendum esse ratus merendi verbum contra Festi usum (cf. Forcellin. s. h. v. et Fest. c. XV: amicitiam rogavit ac meruit) hic eundum habere sensum putabam ac nostrum ‚verdienen'.

(IV p. 653, éd. Br. 1709) videtur et praecipue Gibbonio (c. XVIII, adn. 56). Sed praeter hunc Festi locum etiam Libanius adnotat hanc Persarum legationem nihil profecisse[1]) et Iuliauus imp. (orat. I p. 18 ed. Spanhemius) silentio eam praeteriit. Manso (Leben Constantins, Wien 1819, p. 161) verum intellexisse et significasse mihi videtur, cum scriberet: „von dem Frieden, den der christliche Kaiser der Gesandtschaft verwilligt habe, weiss übrigens nur Eusebius.“ Doctissime de hac re disseruit atque omnibus auctorum locis collatis multas et magnas eorum discrepantias ostendit Spanhemius in commentariis ad Iuliani imp. orationem I (Iulian. opp. p. 157 sqq.).

In sequenti capite XXVII Festus de pugnis a Constantio commissis nonnullas res tradit, quarum notitia uni Festo debetur, qua de Constantii expeditione, quod auctores veteres afferunt, subtiliter Tillemontius (IV, p. 656 sqq. éd. Brux. 1709) exposuit, qui Festi narrationem non esse contemnendam cognovit; itemque iudicat de Wietersheim. III p. 256: „Das Zusammenhängendste darüber, obwohl mit eigenthümlichen Irrthümern oder Textfälschungen enthält der Epitomator Sex. Rufus.“ Sed omnes consentiunt Festi huius loci verba, qualia nobis tradita sunt, maximopere esse corrupta, velut Tillemontius IV, 669 dicit: „Son texte est fort brouillé et fort corrompu dans tout cet endroit,“ atque Foerster quoque (p. 105) de vexatissimo illo loco plane desperare videtur. — Huius autem capitis in principio quae tradita sunt: „Constantius in Persas vario ac magis difficili pugnavit eventu“ etiam ab Eutropio[2]) comprobatur. Sed unus Festus — Hiero-

---

[1]) Libanii *εἰς Κώνσταντα* etc. *λόγος βασιλικὸς* — opera ed. Reisk. III, 296 —: ‚*πέμπει πρεσβείαν ὑπὲρ τῶν ὅρων ἀμφισβητήσουσαν .... βασιλεὺς δὲ ὁ μέγας, ὡς ἤκουσε, μισήσας τὸν ἄνδρα τῆς ὑπερηφανίας, αὐτὸς ἔφη βούλεσθαι οἱ τὰς ἀποκρίσεις δοῦναι, καὶ τῷ λόγῳ τὸ ἔργον εἵπετο.*‘

[2]) Eutropius X, 10 de Constantii Persica expeditione haec facit verba: ‚Diversa Constantii fortuna fuit; a Persis enim multa et

nymus (Schoene p. 194) enim et Orosius VII, 29 eandem rem ex ipso Festo hauserunt — auctor est, hoc in bello ‚acriore acie novies decertatum esse, per duces septies, Constantium ipsum praesentem bis adfuisse veris et gravibus pugnis.‘ Similiter unus Festus de Nisibi ter obsessa exponit, Amidam autem captam etiam alii auctores comprobant (vid. locos a Tillemontio IV, 323, 341, 350 allatos, cf. etiam Wietersheim. III, 257 sq.). Plurimas autem difficultates et suspiciones movet posterior huius capitis pars inde a verbis: „Narsensi (Marensi)[1]) autem bello“ usque ad capitis finem. Quo de loco recte iudicasse Tillemontius videtur (IV p. 668, n. V, ‚sur la bataille de Narse dans Feste‘): „De sorte que quoique Feste semble distinguer ce combat de celui d'Ellie ou de Singare j'ai néanmoins peine à croire que ce soit autre chose que le commencement du combat même de Singare,“ cuius argumentationi Gibbonius assentitur (c. XVIII, tom. III, p. 107 sq.). Prioris enim pugnae partis finis fuit victoria Romanorum, ad quam pertinent Festi verba: „superiores discessimus“ et Eutropii (p. 71, 21) „nisi quod apud Singaram haud dubiam victoriam etc.“ Secuta autem est nocturna Romanorum clades, quam spectant Festi „nocturno vero etc.“ et Eutropii „(haud dubiam victoriam) ferocia militum amisit — die iam praecipiti,“ qua de posteriore pugnae parte diffusam nobis praebet Festus narrationem. — In capite quod proximum est vicesimo octavo Festus refert de Iuliani expeditione contra Persas facta, de qua iam imperatoris aequales eiusque in illa expeditione socii plerique scripserunt — simi-

---

gravia perpessus, saepe captis oppidis, obsessis urbibus, caesis exercitibus nullumque ei contra Saporem prosperum proelium fuit, nisi quod apud Singaram haud dubiam victoriam *ferocia militum* amisit, qui pugnam seditiose et *stolide* contra rationem belli die iam praecipiti poposcerunt.‘

[1]) De quo verbo Tillemontius IV, p. 669, n. V et Cellarius et Tzschukkius ad h. l. multa attulerunt.

liter ac L. Veri commilitones de ipsius bello Parthico, ut Lucianus[1]) tradit. Memoro tantum, ut de Eutropio, Ammiano aliisque taceam, Magnum Carrhenum et Eutychianum Cappadocem (Müller F H G IV, p. 4 sqq.), quorum pauca fragmenta Malalas nobis servavit (Chron. p. 328, ed. Bonn.), deinde Oribasium medicum (Eunap. fragm. 8, Müller FHG IV, 15) et Callistum qui heroico metro Iuliani bella Persica descripsit[2]); prae ceteris autem Libanius ad res ab Iuliano gestas cognoscendas permulta affert. Quorum auctorum locos cum iam Tillemontius (IV art. 25, p. 1007) et nuper Sieversius (Studien z. röm. Kaisergesch. p. 239 sqq.; vide etiam Leben des Libanius p. 125 sqq.) et Sudhausius (de ratione, quae intercedat inter Zosimi et Ammiani etc. Bonnae 1870) accurate examinarint, gravissimos tantum ad Festi narrandi rationem intellegendam hic exhibebo. —

Quidquod classem ab Iuliano aedificatam per Euphratem devectam esse confirmat Magnus Carrhenus (FHG IV, p. 4 sq.), idemque multa castella capta narrat (*ὅστις καὶ πολλὰ κάστρα Περσικὰ .... ἐπόρθησε*); deinde pergit Magnus: „*Καὶ κατῆλθεν ὁ βασιλεὺς μετὰ τοῦ στρατοῦ παντὸς διὰ τῆς μεγάλης διώρυγος τοῦ Εὐφράτου τῆς μισγούσης τῷ Τίγρητι ποταμῷ ..... Ἰοὐλιανὸς ὁ βασιλεὺς ἐσκήνωσεν ἐν τῇ πεδιάδι τῆς αὐτῆς πόλεως Κτησιφῶντος*," quibuscum verbis conferas velim Festi locum: „Multa oppida ac castella Persarum .... cepit. Cum contra Ctesiphontem in Tigridis et Euphratis ripa iam mixti castra haberet ....." (cf. Libanium ‚*ἐπιτάφιος ἐπ' Ἰουλιανῷ*' Reisk. I, p. 704 sq.). Deinde Festus narrat Iulianum „ludos campestres, ut hosti sollicitudini demeret,

---

[1]) ‚*πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν*' edit. Dind. II, p. 1, 8 sqq.

[2]) Socrat. hist. eccles. III, c. 21, p. 198 Reading: ‚*Κάλλιστος*' quem, quantum scio, falso Callistium vocat Sievers, Leb. d. Liban. 132, n. 41; sed cum Sieversio sententiam Valesii probo, hunc Callistum eundem esse ac Libanii »Callistionem« epist. 1127) recte Studien p. 262: »Callistus (oder Callistio).«

per diem agitasse;“ praeter Festum Libanius aliique scriptores, Callistus, Sozomenos, Suidas (vid. Sudhausium p. 76 hos locos afferentem) de his ludis ab Iuliano institutis tradunt. Sed Sudhausius mihi quidem probavit p. 77, Libanium Sozomenum Callistum unum eundemque fontem esse atque etiam ea, quae Suidas de ludis ac certaminibus commemoret ... ad Libanium referenda esse. „Itaque“ pergit Sudhausius „quinque illos ludorum a Iuliano apparatorum auctores ad duos Libanium et Sex. Rufum redactos esse videmus.“ Cui sententiae cum plane assentiar, Festum quoque — id quod idem Sudhausius contendit p. 78 — in commemorandis ludis campestribus a Libanii relatione pendere, non probabile mihi videtur — quod paullo infra latius explicabo — quamquam eo quod huius capitis breviarii pars proxima maximopere cum Libanio conspirat, Sudhausii sententia confirmari videtur. Conferantur enim haecce: Liban. *ἐπιτάφιος* tom. I, p. 606: *δεδειπνηκότας τοίνυν ἀγείρας τοὺς ἐν τέλεσι ... καὶ αἱ μὲν νῆες εἶχον ἤδη τοὺς μαχομένους ... οἱ δὲ ἔκπλεον καὶ ἐξέβαινον αἴσθησίν τε ἤδη τοῖς ἐγγὺς παρέχοντες καὶ βαλλόμενοι* — Festus: noctis medio impositos navibus milites in ulteriorem ripam repente transvexit. —

(Liban. p. 606): *ἀλλ' ὅμως, ὃν οὐκ ἂν ἐν εἰρήνῃ τε καὶ μηδενὸς εἴργοντος μεθ' ἡμέραν εὔζωνοι κρημνὸν ἐθάρρησαν, διὰ νυκτὸς ὁπλῖται πολεμίους ὑπὲρ κεφαλῆς ἔχοντες ἀναβεβήκεσαν* ..... p. 607: ... *εἶχον ἂν Κτησιφῶντα τὸν πολυύμνητον. νὺν δὲ χρυσὸν μὲν καὶ ἄργυρον καὶ ἵππους τῶν οἰχομένων ἐκτῶντο.*

(Festus): qui per ardua nitentes, qua difficilis *etiam per diem et nullo prohibente* fuisset ascensus, Persas terrore subito miscuerunt ... apertas Ctesiphontis portas victor miles *intrasset ni* maior praedarum occasio fuisset quam cura victoriae.

Deinde comparandi sunt loci, in quibus Libanius et Festus de Iuliani morte narrant (Fest.: „nudato militum —

vulneratus est.“ Liban. p. 613 v. 2 sqq.: „*αἰγίδος δὲ — εἰσέδυ.*“)[1])

De transfuga autem nullum apud Libanium exstat testimonium; sed [Aur. Vict.] epitom. 43, 2 Iulianum a transfuga quodam in insidias deductum esse confirmat; (cf. etiam Magnum Carrh. l. l. et Sozom. VI, 1, p. 218 Reading: *πρεσβύτηρ τις ἑλόμενος*). Festi verba: „de reditu a militibus admoneretur intentioni suae magis credidit“ fortasse pertinent ad rem, quae accidit, postquam transfuga ille exercitum in deserta loca deduxit; qua de re Ammian. XXIV, 8, 2 his utitur verbis: „et multis ultro citroque dictitatis cum reverti debere per loca, qua venimus, plebs vociferatur imprudens, resistebat intentius princeps,“ (Magnus etiam de tumultu dicit). —

Sed priusquam de huius capitis ceterorumque huius breviarii particulae capitum (XXV -XXIX) fontibus disseram, adnoto tantum eas quoque res, quas Festus ab Ioviano gestas esse in c. XXIX narrat, haud perverse memoriae traditas esse confirmari aliorum auctorum locis a Sievers. Stud. p. 263—67 allatis;[2]) tamen hi auctores et Festus nusquam eiusmodi prae se ferunt consensum, ut accuratius diiudicari possit, utrum artiore quadam inter se necessitate coniuncti sint necne. —

Contra Festus quin ex memoria has res tradiderit vix posset dubitari, nisi in bellis Iuliani Persicis referendis ipse et Libanius tantopere inter se congruerent. Quo consensu praecipue quod ad ludos ab Iuliano institutos attinet, Sudhausius permotus est, ut Festum ab ipsius Libanii relatione pendere contenderet. Neque tamen equidem huic opinioni ullo modo possum adstipulari. Revera enim duo scriptores accurate non conspirant nisi in enarranda nocturna pugna apud Ctesiphontem commissa et, quod gravissimum est, trans-

---

[1]) Quid afferant ceteri auctores de Iuliani morte, vid. Sievers. Stud. p. 261 sqq.

[2]) Iam Eutrop. X, 17 probat fere totam Festi narrationem.

fugae, qui in deserta loca deduxit Iulianum, Libanius ne uno quidem verbo mentionem fecit. Cui rei certe eo plus tribuendum est, quod Festus, si relatione tam accurata, tam diffusa, qualis Epitaphio illo Libanii continetur, usus esset, alium praeterea auctorem certe non adhibuisset. Erat cum propterea, quod Libanius ep. 1186 tradit per milites e pugnis redeuntes de Iuliani expeditione sese certiorem esse factum, Festo quoque tales fuisse auctores putarem, quin etiam ipsum bellis a Constantio et Iuliano gestis fortasse interfuisse. Nam Festi narrandi ratio, qui paucas res leviores accuratissime, graviores brevissime exponet aut plane omittat, eiusmodi esse videtur, qualis spectatorum minus peritorum rei militaris esse solet. Attamen Festi et Libanii consensus aliquoties tantus est, ut eodem auctore utrumque esse usum me iudice probabiliter non possit negari.

Qua in re speciosissima sane multasque ob causas verisimilis conjectura est, quam Arnoldus Schaefer, praeceptor summopere reverendus, mecum communicavit: et Festo et Libanio item ac Zosimo et Ammiano (vid. Sudhaus. p. 100 sq.) publicis literis quas nos dicimus ‚officielle Kriegsberichte' uti licuisse, velut Oribasii commentariis. Quam sententiam maximopere ex parte quidem mihi probabilem esse confiteor; in universum autem existimo statuendum esse Festum c. XXV—XXIX e sua rerum gestarum memoria ac notitia composuisse.

Demonstrare igitur conatus sum hac cuius finem iam faciam dissertatione, Festum in capite II aliquod chronicon, quod etiam Eutropius secutus est, expressisse, in capitibus III—XIV componendis in usum vocasse opus geographicum, quod Ammianus quoque Marcellinus in geographicis operis sui partibus conscribendis adhibuit, praeterea provinciarum indicem; deinde capita XV—XIX ex epitoma facta e Livii annalibus, capit. XX—XXIV ex Eutropio hausta esse, postremo capita XXV—XXIX maximam quidem partem ex ipsius Festi memoria emanasse.

VITA.

Richardus Iacobi natus sum Berolini die XXIX m. Nov. anno h. s. L. Fidei addictus sum evangelicae. Anno h. s. LXI parentes se contulerunt Vindobonam, ubi literarum elementis imbutus per unum annum gymnasium frequentavi, quod est in monasterio Scotico. Anno h. s. LXIII Berolinum reversus Ioachimicum gymnasium adii, quod tunc sub F. G. Kiesslingii regimine florebat; quem virum humanissimum ceterosque optime de me meritos gymnasii praeceptores semper pio gratoque animo recolam. Ineunte vere anni h. s. LXX in civium academicorum Berolinensium numerum receptus sum. Post quattuor semestres Bonnam me contuli, ubi studiis incubui historicis. Docuerunt me: Althaus, Boretius, Bücheler, Droysen, Harms, Hassel, Kiepert, Menzel, I. B. Meyer, Mommsen, Müllenhoff, Schaefer, Simrock, de Sybel, Varrentrapp, Werder. Praeterea ut seminario historico per quattuor semestres sodalis adscriberer Schaeferi et Sybelii comitate factum est. Quibus omnibus viris doctissimis in primis autem Arnoldo Schaefero, qui studia mea benignissimo atque amicissimo consilio adiuvit, gratias ago semperque habebo quam maximas.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 094 926 2

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Eutropii l. VIII c. 1—22 pendent ab epitoma ex Marii Maximi libris confecta.

II. Hadrianus Italicae, in oppido Hispaniae, natus est.

III. C. I. L. I p. 435 verba 'interregni causa' non a consule dictum, sed a populo creatum esse Q. Fabium Maximum significant.

IV. In Xenophontis qui fertur de republica Atheniensium libello II, 1 legendum est: '*τῶν μὲν πολεμίων ἥττους τε σφᾶς αὐτοὺς ἡγοῦνται εἶναι καὶ μείους* (codd. *μείζους*)...'

V. Script. histor. august. I, p. 47, 25 (ed. Peter.) pro: 'ut sibi Marcum Pius adoptaret, ita tamen ut et Marcus sibi Lucium Commodum adoptaret' legendum est: 'ut sibi Marcum Pius ita tamen ut cum Marco simul Lucium Commodum adoptaret'.

VI. De pugna apud Zorndorf commissa Fridericus Magnus non accurate retulit. (Hist. de la guerre de sept ans. Oeuvres. T. 4 p. 204 sqq.)

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 094 926 2